F. Rom. C

140

# J. VINCENTII GRAVINÆ

## INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS RECEPTIORIS

## LIBRI IV.

Quibus accessit ejusdem Dissertatio

*DE*

# CENSURA ROMANORUM.

---

VENETIIS,
APUD SIMONEM OCCHI.

*Superiorum Permissu, ac Privilegio.*

MDCCXLVI.

# C. IULII CAESARIS

## COMMENTARIORUM

## DE

# BELLO GALLICO

## LIBRI IV.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

# LECTORI BENEVOLO.

*Typographus Romanus.*

FREQUENTI plauſu Juventutis operam dantis ſcientiæ Juris acceptas cum viderim Inſtitutiones Canonicas in compendium redactas a Summo Viro JANO VINCENTIO GRAVINA Anteceſſore Romano, ab eoque in Archigymnaſio Sapientiæ dictatas, quas Auguſtæ Taurinorum prælo datas, recudi curaveram impulſus hortatu plurium eximiorum, & doctorum Virorum in meam Bibliothecam convenientium horis ſubciſivis, lubens

animum adjeci ad conquirendas Inſtitutiones Civiles, quas ſimili compendiario ſtylo pariter ab ipſo expoſitas fuiſſe conjectaveram, ut has illis ſociarem.

Nec conjectura falſus ſum, nec eventu, nam comperi ab eo exaratum fuiſſe Compendium Inſtitutionum Civilium inſcripto titulo, *Inſtitutionum Juris Receptioris*, & earum autographum reperiri apud Cl. Virum Franciſcum Bufera Nob. Fabrianenſem, qui cum in Urbe moraretur, fuerat a tanto Magiſtro Juris rudimentis eruditus.

Facile a Viro ſcientiarum amantiſſimo juxta ac humaniſſimo impetravi, ut mihi copiam exſcribendi faceret, quo typis mandarem, quin etiam fuit ab eo communicata quædam

Diſ-

Dissertatio ab eodem Authore edita *de Censura Romanorum*, ut quasi mantissam operi adjungerem.

Admota igitur impressioni manu adnixus sum diligentia qua potuit majore eam perficere, *spesque est me ab omnibus Juris*, bonarumque artium studiosis gratiam initurum; Quamvis enim multa prostent Institutionum Civilium Compendia, peropportunum tamen fuerit hoc superaddere stricto, ac nitidissimo, purissimoque stylo, quo *Author* parem forte non habuit, concinnatum, ut ejus auxilio, quæ ab uberioribus fontibus hausta fuerunt Elementa Juris, uno oculorum conjectu ad memoriam revocentur, quod sibi fuisse consi-

lium Author ipſe in Proœmio declarat .

Pergratam quoque Diſſertationem *de Cenſura Romanorum* reor futuram quibus innoteſcit quantum lumen afferat intelligentiæ Legum Hiſtoria Magiſtratuum Romanorum , quos inter Cenſura tantopere emicuit .

De admirabili Authoris in Græcis litteris atque Latinis , & in omnibus ſcientiis pro dignitate eloqui mea tenuitas non patitur , ſatiſque loquuntur cum innumera Clariſſimorum Virorum teſtimonia , tum Libri ab eo compoſiti , cum primis verò Commentarii *de Origine Juris Civilis* , quibus ſibi nominis immortalitatem comparavit .

J. VIN-

# J. VINCENTII
# GRAVINÆ
## IN
# JURIS RECEPTIORIS
## INSTITUTIONES
# PROŒMIUM.

CUM *per longum docendi usum compererim plurimorum Adolescentium, aut negligentiam quæ illos à labore longioris scriptionis, & acutioris contemplationis avertit, aut egestatem, quæ immaturos eosdem adigit ad forensem quæstum, deflectitque ab eruditioris Juris prudentiæ cura, propterea Institutiones priores nostras, quibus auditoribus Veteris etiam Juris lumina suis locis breviter, & subtiliores rationes suggerebantur; in*

*has contraximus breviores, & expeditiores, quo Jus tantum contulimus quotidianum, & receptum, ut inertes laboris levitate, inopes discendi celeritate allicerentur. Verum ne meliores deteriorum vitio plectantur, aut laboriosis auferantur veteris Juris notiones, & rationes illæ, unde provenit novum; nevè nexus Juris prudentiæ cupidioribus Juvenibus celetur; quidquid calamo negamus, voce ab ipsius Justinianei Textus explicatione promemus, & illius Titulos ex ordine prosequemur etiam exoletos, deque scriptis his tum ex superioribus rationibus excluſos, tum quia materiam eorum abundè protulimus in nostris Originum libris: quorum quoniam ex primo, qui* de ortu, & progressu Juris Civilis *seorsum est editus, colligere abunde poteritis omnem Juris Civilis historiam initio Studiorum omnium necessariam, in cursu vero forensis exercitii plurimum profuturam; ne tempus dictandis iis, quæ*

*impreſſimus fruſtrà teramus ; ad eumdem libellum vos mittimus comparatu facillimum .*

*Etſi autem hæ recentes noſtræ , quas Juris Receptioris Inſtitutiones appellamus, nihil contineant obſoletum , nulla tamen carent ratione neceſſaria : ut eum breviſſimæ ſint atque facillimæ , neque brevitas a perſpicuitate abſit , neque a facilitate ſoliditas . Agite itaque , & exordiamur: Diis bene juvantibus ..*

# INDEX TITULORUM

## *IN QUATUOR LIBRIS*

## INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS CONTENTORUM.


*Præfatio in Juris Civilis Institutiones* .
Titulus I. *De Justitia, & Jure* . pagina 15
Tit. II. *De Jure naturali gentium, & Civili* . 16
Tit. III. *De his qui sui, vel alieni juris sunt* . 20
Tit. IV. *De Adoptionibus* . 22
Tit. V. *Quibus modis jus Patriæ Potestatis solvitur* . 26
Tit. VI. *De Servis, & Captivitate minutis* . 28
Tit. VII. *De Tutelis* . 29
Tit. VIII. *De Curatoribus* . 35
Tit. IX. *De satisdatione Tutorum, vel Curatorum* . 36
Tit. X. *De excusatione Tutorum, vel Curatorum* . 38


Tit.

Tit. XI. *De ſuſpectis Tutoribus.* 41

# INDEX LIBRI II.

Titulus I. *De rerum diviſione, & acquirendo earum dominio.* 43
Tit. II. *De ſervitutibus Ruſticorum, & Urbanorum Prædiorum.* 57
Tit. III. *De Uſufructu.* 61
Tit. IV. *De uſu, & habitatione.* 63
Tit. V. *De Uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus.* 64
Tit. VI. *De Donationibus.* 67
Tit. VII. *De Dote.* 69
Tit. VIII. *Quibus alienare licet, vel non.* 71
Tit. IX. *De Teſtamentis Ordinandis.* 73
Tit. X. *De Heredibus Inſtituendis.* 81
Tit. XI. *De Vulgari ſubſtitutione.* 85
Tit. XII. *De Pupillari ſubſtitutione.* 89
Tit. XIII. *Quibus modis teſtamenta infirmentur.* 93

Tit. XIV. *De inofficioso testamento.* 98
Tit. XV. *De heredum qualitate, & differentia.* 104
Tit. XVI. *De Legatis.* 109
Tit. XVII. *De Jure accrescendi.* 112
Tit. XVIII. *De lege Falcidia.* 120
Tit. XIX. *De fideicommissariis Hereditatibus.* 122
Tit. XX. *De Codicillis.* 125
Tit. Ultimus. *De successionibus ab intestato.* 128
*De successione Descendentium.* 131
*Ascendentium.* 135
*Collateralium.* 140

## INDEX LIBRI III.

Titulus I. *De obligationibus, & iis quæ re contrahuntur.* 148
Tit. II. *De verborum obligationibus sive de stipulationibus.* 153
Tit. III. *De fidejussoribus.* 161
Tit. IV. *De literarum obligationibus.* 163
Tit. V. *De obligationibus ex consensu, & primo de Emptione.* 165
Tit. VI. *De locatione, & Conductione.* 168

Tit. VII. *De Societate.* 172
Tit. VIII. *De Mandato.* 175
Tit. IX. *De obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur.* 177
Tit. X. *Per quas Personas nobis obligatio adquiritur.* 180
Tit. XI. *Quibus modis tollitur obligatio.* 181
Tit. XII. *De obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.* 186
Tit. XIII. *De Lege Aquilia.* 189
Tit. XIV. *De injuriis.* 192
Tit. XV. *De Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.* 195

## INDEX LIBRI IV.

*De Actionibus, exceptionibus, & interdictis.* 197
Tit. XVIII. *De publicis Judiciis.* 112

Dissertatio de Censura. 229

## FINIS INDICIS.

NOT

# NOI RIFORMATORI
## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione ed approvazione del *P. Fra Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore* di Venezia nel Libro Intitolato. *J. Vincentii Gravinæ Institutionum Juris Civilis Receptioris Libri IV. quibus accessit &c.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimente per Attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni Costumi concediamo licenza a *Simone Occhi Stampatore* in Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le Solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 26. Aprile 1745.

( Gio: Emo Proc. Riff.
(
( Marco Foscarini Cav. Proc. Riff.

Registrato in Libro a c. 3. al n. 21.

*Michiel Angelo Marini Segret.*

IN-

# INSTITUTIONUM JURIS RECEPTIORIS

## LIBER PRIMUS.

### *De Juſtitia, & Jure.*

### TITULUS I.

*JUSTITIA eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.*

Eaque, vel in præmiorum diſtributione verſatur, & pœnarum, pro cujuſque meritis, aut delictis & diſtributiva dicitur; vel in uſu commercioque privato contrahentium, ſive vendentium, ementium, & locantium, conducentium, donantium, aliaſque conventiones ineuntium, ubi alter dat, alter accipit, aut rem, aut pretium, in quibus dignior ab indigniore non diſtinguitur, cum pretia, & mercedes non ex qualitate perſonarum, ſed ex pactionibus ſtatuantur, cum in commutando, ſive in contrahendo conſiſtat.

Juſti-

Justitiæ cognitionem, & explicationem profitetur Juris prudentia, quæ definitur *Divinarum, atque humanarum rerum notitia, justi, atque injusti scientia.*

Juris præcepta sunt tria, honeste vivere, alterum non lædere, jus suum unicuique tribuere.

Dividitur Jus in publicum, quod ad Divinarum rerum, & ad Reipublicæ regimen spectat; & privatum, quod spectat ad regimen singulorum, cum suis bonis, & facultatibus. De privato autem potissimum agemus.

## *De Jure Naturali Gentium, & Civili.*

### TITULUS II.

JUS naturale est, quod nullo docente cognoscimus. Idque vel cum omnibus animantibus commune habemus, ut est edendi, bibendi, generandi, ac Prolis educandæ ratio, & appellatur Jus Naturale primarium; vel seorsum ab Animantibus cæteris, ut est Pietas, & Religio, & virtus animorum, & appellatur Jus Naturale secundarium.

Jus Gentium primarium est id, quod

in

in hominum universorum naturali ratione conditur, quale est Jus Naturale secundarium suprà definitum.

Jus Gentium secundarium est usus Hominum inter se contrahentium, & conventiones inde prodeuntes, qualis est emptio, venditio, cærerique prope contractus apud omnes fere Gentes consueti.

Ad Jus Gentium autem primarium pertinet mutua obligatio alimentorum inter Parentes, & *Liberos*: quando necessitate, ac paupertate alterutri premuntur. (*a*)

Jus Civile est, quod singulæ sibi Civitates ex ejus Regionis usu, & ingenio constituerunt. Et quoniam Roma, quæ suis legibus Orbem ferè Terrarum universum subegit, Gentes ab se victas omnes accepit in Civitatem; eosque Cives Romanos esse voluit; propterea Jus Civile Romanorum, tamquam prodiens ex omnium Gentium *communi* Civitate, per eminentiam, sine adjectione alia Jus Civile appellatur: cum aliorum Jus, puta Lacædemonum, aut Athenienſium, simplici nomine Juris Civilis non veniat, sed exprimendum sit Spartanorum, & Athenienſium cognomentum.

Jus autem Civile Legibus S. C. Plebi-

---

[*a*] Co. de alend. Liber. vel Parent.

biſcitis, Principum Conſtitutionibus, ſive Placitis, Prætorum Edictis, & Juriſconſultorum reſponſis componitur.

Lex eſt honeſta, juſtaque P. R. publicum, & privatum ad regimen expreſſa voluntas.

Eaque voluntas vel inciſa erat duodecim æneis tabulis, in quas Decemviri a Populo ad id conſtituti, tranſtulerunt deſcriptas, per Legatos Roma miſſos, Græcorum Leges, & veteres Romanorum Regum, atque alias ab ipſis inventas, & appellatur Jus duodecim Tabularum, ſive Jus Decemvirale antiquiſſimum; vel data occaſione diverſis temporibus eadem Populi Romani voluntas proferebatur; & tum ſingulæ Leges appellationem ſuam trahebant a majoribus Magiſtratibus veluti Conſulibus aut a Tribunis, a quibus ad Populum, ferebantur, ut omnium conſenſu comprobarentur; qualis erat v. g. Lex Pompeja de Parricidiis, Lex Aquilia de damno illato. Quando autem Lex condebatur a ſolo Senatu, Senatus conſultum vocabatur, quando a ſola Plebe, Plebiſcitum. Quæ utraque poſtea Legis vim ad omnes obligandos acceperunt. Qualem etiam habuerunt & Conſtitutiones Principum, in quorum voluntatem Populus conſenſerat univerſus. Jus Prætorium

rium ſunt Dicta, quæ proponebantur a Prætore, quæ item, ut Lex, obligant cunctos, & appellantur Jus honorarium a Magiſtratu, qui Vir honoratus appellabatur.

Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ Juriſconſultorum, quibus Leges explicabantur, quæ a populari conſuetudine, & a Cæſaris poſtea juſſu vim legis acceperunt. Ea verò *cum contineant* ſilvam ferè *omnem humanorum* caſuum, & civilium Cauſarum, a Juſtiniano Cæſare Juris Romani emendatore, rejectis ſupervacuis, & obſoletis, tributa fuerunt in libros quinquaginta, quos ab ordine, ac digeſtione rerum Libros appellavit *Digeſtorum*, & ab earum multitudine, ac varietate Libros *Pandectarum*, quaſi omnia humana complectantur. Conſtitutiones autem Imperatorum contulit in duodecim Libros, quos appellavit *Codicem*. Suas autem proprias Conſtitutiones poſt digeſtionem Juris editas appellavit novellas: quæ habentur in Libro, quod authenticum vocatur: quarum epitomæ per Titulos Codicis diſtributæ authenticæ dicuntur, adeout compendium earum ab integro contextu genere diſtinguatur: cum illæ authenticæ, illud authenticum nuncupetur. Hos autem quatuor Inſtitutionum, ſive Elementorum

rum Juris Libros post Digesta, & Codicem ad primam, & brevem Juventutis Institutionem, atque ad faciliorem superiorum Voluminum intelligentiam composuit idem Justinianus per Tribonianum, Theophilum, & Dorotheum.

## *De his qui sui, vel alieni Juris sunt.*

## TITULUS III.

HOmines liberi vel sunt Juris sui, vel alieni. Juris alieni sunt Filiifamilias, qui vivunt sub potestate Patris: ceteri sunt juris, sive potestatis suæ. Patria potestas tribuit Parentibus tale jus in Filios, ut eos ad levem usque verberationem coercere possint, & dominium nanciscantur eorum omnium, quæ Filius adquirit. Tum autem Filius venit in potestatem Patris, cum nascitur ex justis, sive solemnibus nuptiis. Quæ tum legitimæ sunt, ex Jure Canonico, quod hac in materia civili Juri apud Catholicos omnes antecellit, quando contrahuntur inter personas, a Jure non prohibitas, adhibitis ex Concil. Tridentin. duobus Testibus, & Parocho: & præmissis denunciationibus ternis, in-

ter

ter Feſtorum ſolemnia, ut ſi quod obſtet impedimentum a Populo Præſulibus ſacri ſignificetur. Quibus denunciationibus omiſſis, pœnas ad arbitrium Judicis incurrunt Sponſi, & illicitè contrahunt, quamvis contractum Matrimonium non irritetur; ſicut irritatur, ſi Parochi, & Teſtium præſentia deſit.

Aliquando Filii, etſi ab initio non ſint legitimi, nec naſcentes ceciderint ſub poteſtatem Patris, tamen in eam recidunt, quando Mater ab eo, a quo Concubinæ loco habebatur, in Matrimonium ducitur; nam Filii ante ſuſcepti, poſt eas nuptias legitimi fiunt; perinde ac tales ab initio ex Matre prodierint. (*a*) Legitimi etiam fiunt, & in poteſtatem rediguntur Patris, per Principis reſcriptum, Filii, ſi Pater nullos habeat prius, vel Mater mortua ſit, aut ſpe ſuſcipiendorum Liberorum deſtituatur. (*b*) Item & oblati Monaſterio legitimantur. Propter vim etiam patriæ poteſtatis, Filia nuptias poſtulans uſque ad vigeſimum quintum annum Patris con-

---

[*a*] Auth. licet patri C. de natural. lib.
[*b*] Nov. 89. C. 9. Auth. præterea auth. item ſive auth. ſi quis C. de natural. lib.

consensum expectare jubetur; alioquin Pater ad eam dotandam non obligatur. Sed si annum vigesimum quintum excesserit, sine periculo amittendæ dotis, potest Patris consensum negligere. (*a*)

Parens verò utriusque sexus ad secundas transiens nuptias, eorum, quæ à priore Conjuge quomodolibet accepit, vel à Filiorum successione legitima retulit, tantum retinet usumfructum; proprietate manente, apud Liberos prioris Matrimonii: (*b*) etiamsi Parentibus non succesferint. (*c*) Quibus non extantibus, plena proprietate fruetur.

Præterea Conjux, alias quascumque contrahens nuptias, non potest Testamento, contractu, vel alio quolibet modo, plus transferre in novum Conjugem, quam in unum ex Liberis, cui minimam partem attribuerit: (*d*) & quod eam portionem minimam superaverit, Liberis cedet. (*e*)

*De*

---

(*a*) Auth. sed si post C. inoff. Test.
(*b*) L. Fæminæ 3. auth. ex testam. C. secund. Nupt.
(*c*) Auth. hæres C. eod.
(*d*) L. hac edictali 6. C. secund. Nupt.
[*e*] L. quoniam 9. cum auth. ad eos C. secund. Nupt.

# *De Adoptionibus.*

## TITULUS IV.

INducitur etiam patria poteſtas in Filios alienos, per nativitatem civilem, ſive per adotionem. Quæ definitur actus legitimus Naturam imitans, quo quis alterius Filius, aut Nepos in infinitum efficitur, *cum antea non eſſet*. Quæ generaliter accepta comprehendit tùm adoptionem ejus, cujus Pater naturalis vivit, & eum in poteſtate habet; tum illius, qui vel morte Patris, vel emancipatione, de poteſtate illius exivit, & eſt Juris ſui. Accepta verò ſpecialiter, ſignificat tantum adoptionem ejus, qui eſt alieni Juris: cum adoptio illius, qui eſt Juris ſui ſpecialiter adrogatio nuncupetur.

Permittitur autem adrogatio, ſi accedat examen, atque cognitio *juſtæ* Cauſæ, quod ſcilicet adrogatio ſit utilis, nec periculoſa, vel ignominioſa Pupillo; & ſi adrogator caveat perſonæ publicæ, ſive Tabulario, aut Scribæ, ſe, ſi pupillus impubes deceſſerint, redditurum bona proximis Pupilli Conſanguineis.

Nec poteſt Pater adrogator emancipare, ſive è poteſtate ſua dimittere Filium

lium adrogatum sine justa Causa, puta quod læserit adrogatorem : & emancipato Filio, bona ejusdem, quæ in adrogatoris Domum transtulit, reddere cogitur. Ac si adrogatum quis, vel exheredaverit, vel sine causa justa emancipaverint, præter bona reddita, quartam etiam adjicere debet propriorum bonorum ex Rescripto Divi Pii a quo quarta Divi Pii nuncupatur. Per adrogationem autem Filii, aut Nepotes nominis adrogati, cum eo veniunt in potestatem adrogantis : cum, si Pater det proprium Filium familias in adoptionem alteri : Nepotes ex eo Filio familias susceptí, sub Patris naturalis, nempe Avi eorum potestate remaneant.

Imò nostris temporibus ex constitutione Justiniani, (*a*) Filiusfamilias non exit a potestate Patris naturalis, neque transit in potestatem adoptantis, nisi adoptetur ab Avo Materno, vel Paterno, qui cum Filium emancipasset, adoptet Nepotes ex eo, post emancipationem, natos.

In locum autem, non solùm Filii quis adoptare potest, sed etiam Nepotis, quamvis Filium habeat nullum : Et si Filium habeat, non potest, quam

in

(*a*) L. penult. C. de adoption.

in locum Nepotis, adoptare, nisi Filius consenserit . ( *a* ) Nemo autem adrogare, vel adoptare potest, nisi annis 18. præcurrat adoptatum; cum ea sit ætas magis ad generandum idonea, & plena pubertas appelletur, & adoptio debeat imitari Naturam.

Castrati porro, & quotquot vitio insuperabili corporis generare nequeunt, neque *possunt adoptare*. *Quamobrem Spadones*, quorum nomine veniunt etiam ii, qui sanabili vitio Corporis ad generandum sunt idonei, adoptandi facultatem habent.

Fœminæ quamvis adoptari possint, non tamen ipsæ possunt adoptare alios; nisi ex indulgentia Principis, unum tantum ad solatium amissorum Liberorum. ( *b* )



( *a* ) L. 6. ff. de adopt.
( *b* ) C. de adopt. l. Mulierum 5.

# Quibus modis Jus Patriæ Potestatis solvitur.

## TITULUS V.

PRimum solvitur Patria Potestas morte Parentis: nam Filius remanet liber, & in sua potestate retinet proprios Filios. Sed si Pater eorum, ante morte emancipatus fuisset, Filii ipsius, sive Nepotes, qui remanserunt in Avi potestate, Avo mortuo, liberi fiunt; neque recidunt in potestatem Patris eorum, nisi Filius, non emancipatione Patris suis, sed suprema aliqua dignitate, de potestate Patris exisset; nam tum, ne dignitas ei sit damno, mortuo Patre Filiorum suorum potestatem retinebit. (a)

Secundo solvitur Patria Potestas ea pœna, quæ adimit Civitatem Romanam: eaque appellatur media Capitis, sive status humani diminutio.

Tertio solvitur servitute, sive amissione libertatis, quæ maxima capitis diminutio nuncupatur.

Quar-

[a] Nov. 8. c. 2.

Quarto ſolvitur Patria Poteſtas Epiſcopatus, & etiam Cardinalatus dignitate.

Quinto ſolvitur emancipatione, qui eſt actus legitimus, per quem Pater ante Magiſtratum declarat, ſe nolle amplius Filium in ſua poteſtate habere.

Cum quis bello captus in ſervitutem hoſtium redigitur, Patria Poteſtas in ſuſpenſo manet: nam ſi apud Hoſtes decedat, fictione Legis Corneliæ, pro mortuo habetur ab eo ipſo tempore, quo in Hoſtium poteſtatem devenit: Si redierit in Patriam, per Jus, quod poſtliminii dicitur, Patria Poteſtas redintegratur.

Emancipato autem Filio, ſi ejus Uxor ediderit Partum conceptum tempore, quo Maritus erat in poteſtate Patris, is, qui naſcitur, non Patris, ſed Avi poteſtate continetur; contra ſi conceptus fuit poſt emancipationem.

Sicut autem Liberi, ſemel è poteſtate dimiſſi, revocari in poteſtatem nequeunt; ita & in poteſtate Patris manentes, cogere Parentes, ad emancipandum non poſſunt; (*a*) niſi ab eis ad turpitudinem, aut impietatem com-



(a) L. nec Avus C. de emancip. liber L. non poteſt. ff. adopt. & emancip.

pellantur ; (*a*) aut Parentes illicitas contraxerint, & inceſtas nuptias : tunc enim ab ipſa lege, ſupplicio ſceleris, e poteſtate liberantur. (*b*)

## *De Servis, & Captivitate minutis.*

## TITULUS VI.

PRæter perſonas Liberorum, ſive ingenuorum, ſive eorum, qui naſcuntur, & adhuc manent liberi ſunt etiam ſervi, & Liberti, quorum pene amiſimus uſum.

Servi ſunt ſive bello capiantur, qui veniunt in poteſtatem victoris, amiſſa libertate, arbitrioque ſuo, & rerum ſuarum tam quæſitarum, quam quærendarum, quarum proprietas Dominis adquiritur, & fructus ; ſive naſcantur Domi ex Ancillis, quarum dominium habemus ; ſive voluntate ſua tales fiant ; cum ultro ſeſe vendunt ad participandum

---

(a) L. ſi ſeniores C. de Epiſc. aud. L. ult. ff. ſi a Paren. quis fuerit manum.
(b) Novell. 12. c. 2.

dum pretium: qua venditione libertatis servi fiunt publicorum operum, puta nauticorum aut metallicorum, quibus sese vendiderunt.

Servi autem e servitute pervenire possunt ad libertatem per manumissionem, quæ est libertatis datio per Dominum: quam qui accipiunt, non ingenui, sed Liberti appellantur, & ad aliquod obsequium Patrono, sive veteri Domino eorum liberatori *præstandum* adstringuntur.

# *De Tutelis.*

## TITULUS VII.

ETiam qui sunt sui Juris Homines, tamen vel ob ætatem impuberem, vel ob mentis vitium, alieno regimini subjiciuntur; donec vel ad pubertatem veniant, vel resipiscant, impuberes sub tutela manere dicuntur; alii sub curatione, sub qua sunt, etiam minores 25. annis.

Tutela est jus, & potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit, jure Civili data, & permissa. Eaque triplex est,

Testamentaria, Legitima, Dativa. Testamentarius Tutor est qui datur a Patre in Testamento Filiis, aut Nepotibus, quos habet, vel quos si viveret, cum nascerentur, habiturus esset in potestate. Nam si Tutorem dederit emancipatis, is Tutor, non tam jure paterno, quam ex jurisdictione Magistratus sustinetur: cum Lex jubeat, hujusmodi Tutores, ob reverentiam paterni judicii, etiam sine inquisitione confirmari. Sicut confirmatur etiam datus a Matre, vel ab extraneo iis Pupillis, quos reliquerint Hæredes, (*a*) sed cum inquisitione.

Dari autem potest testamento Tutor etiam Filiusfam. propter publicam causam, ad quam tutela trahitur: & in publicis causis Filiusfam. pro Patrefam. habetur.

Et si datus fuerit Tutor non idoneus, testamenti tempore, puta furiosus, aut minor; expectandum est, donec iste resipiscat, & iste ad majorem ætatem, nempe annorum 25. pervenerit, & interea datur alius à Magistratu.

Po-

---

(a) L. 2. & 4. ubi Gloss. ff. confirm. tut. & L. Mater cum Gloss. C. Testam. tut.

Poteſt & Tutor dari ad certum tempus, puta ad quinquennium, & ex certo tempore h. e. ab Anno à morte Teſtatoris tertio, aut ſecundò, & ſimiliter. Et datur Tutor tum educandæ perſonæ, tum rebus adminiſtrandis: quæ ſi diſſitæ in longinquas Regiones fuerint, licebit plures dare Tutores: qui quamvis diviſis Regionibus, & bonorum portionibus dentur, tamen ſinguli Tutelæ onus *integrum* ſuſtinent, cum ad omne Patrimonium, eorum quiſque datus intelligatur; & tantum adminiſtratio inter eos dividatur, integro in ſingulis manente jure tutelæ.

Fœmina ex Juſtiniani conſtitutione, poteſt ſuſcipere tutelam Filii ſui, vel Nepotis; ſi Tutor nullus teſtamento datus fuerit: & præfertur cæteris Conſanguineis, & datis a Magiſtratu. Sed hoc jure minime gaudet, ſi ad ſecundas nuptias tranſierit. (*a*)

Legitima tutela eſt, quæ à Lege defertur iis, qui vocantur ad Pupilli ſucceſſionem: quales hodiè ſunt omnes proximiores Conſanguinei, ſive cognati



[a] Auth. Matri, & Aviæ C. Quando Mat. tut. offic. fung. poſſ. & auth. Teſtamento auth. ad hoc C. eod.

sint, hoc est, ex latere Matris veniant, sive Agnati, hoc est, veniant ex latere Patris: inter quos hodie servata tantum vicinitate gradus, sicut in hæreditaria successione, sic etiam & in Tutelæ jure, omne discrimen est sublatum. Cognationis autem nomine, latius accepto, veniunt etiam Agnati. Qui si adoptentur, aut emancipentur, dicuntur exire de Agnatione paterna, & in novam Familiam transire, ideoque patiuntur capitis diminutionem minimam, sive minimam mutationem status; cum retenta libertate, ac Civitate tantum amittant Familiam.

Habet autem locus Tutor datus à lege, quando vel nullus testamento datur Tutor, vel datus decesserit ante mortem Testatoris. Sed si datus testamento, se tutela excusaverit, vel dolo fuerit remotus, tum non legitimus, sed datus a Magistratu tutelam subibit.

Si verò desit, aut deficiat Tutor testamentarius, aut legitimus, tunc Tutor dabitur a Magistratu, ex inquisitione, & probatione personæ, qui dicitur dativus. Officium verò Tutoris est regere Pupillum, & bona illius prudenter administrare, atque in Pupilli contractibus interponere auctoritatem

tem ſuam, ſine qua inutiliter cum Pupillo contrahitur, aut agitur. Pupillus enim commodum ſibi, ſine auctoritate Tutoris, parere poteſt; non autem ullam poteſt contrahere obligationem, aut ferre damnum, ideo cum tranſigit, aut remittit, aut etiam cum adit hæreditatem requiritur auctoritas, ne adeundo inconſulto ſe obliget æri alieno, ſine qua interpoſita auctoritate Pupillus, quamvis obliget ſibi alium, tamen alii non obligatur, neque convenitur, niſi in quantum fuerit locupletior, ne cum aliena jactura lucretur. Debetque auctoritas Tutoris interponi cum negocium geritur, ſive cum res calet, exigiturque præſentia ipſius Tutoris.

Nec licet Debitorem, aut Creditorem Pupilli Tutorem eidem a Judice dari; ſed tantum ex teſtamento, & ex certa ſcientia Teſtatoris, cui oportet debitum, & Creditum eſſe notum; excepta Matre, & Avia, quibus ad tutelam gerendam, contractum cum Pupillo debitum, & creditum, minime obſtat. (*a*)



(a) Auth. ad hæc C. quando Mul. Tut. off. fun.

Immobilia Pupilli vel minoris bona, sine Judicis decreto, inutiliter alienantur, aut hypotecæ subijciuntur. (*a*)

Pubertate autem finita, non autem ante, ratio administrationis exigitur a Tutore. In qua reddenda Tutor præstat Pupillo tum damnum datum, tum lucrum negligenter omissum. Neque Pater, qui Filio Tutorem testamento dedit, potest hanc rationum redditionem remittere: [*b*] quia publice interest manifestari fidem alienam.

Finitur porro tutela pubertate, cum Pupillus annum decimumquartum, aut Pupilla decimum secundum absolverint. Secundo finitur qualibet capitis diminutione Pupilli, etiam minima, scilicet cum Pupillus adrogatur. At si adrogetur ipse Tutor, legitima Tutela non perit, propter sublatam Agnationis, & cognationis differentiam: unde maxima tantum, & media capitis diminutione Tutoris extinguitur.

*De-*

---

[a] L. in prædiorum 2. C. de præd. min.
[b] L. 5. §. Julianus ff. de admin. tut.

# *De Curatoribus.*

## TITULUS VIII.

CUratio est legitima potestas, per quam res administrantur vel minorum 25. annis, *vel eorum, qui mentis vitio laborant.* Ætas autem minor vel ad cœptum vel ad finitum Annum producitur. Nam si de pœna, vel damno declinando agatur, expectatur annus integer, & tempus de momento ad momentum computatur, & ultimus dies cœptus pro completo minime habetur. Contra vero si tractetur de commodo, vel honore minoris: nam sufficiet primus vigesimi quinti anni dies. (*a*)

Dantur autem Curatores ab iisdem Magistratibus a quibus & Tutores: & quamvis datus testamento non confistat, tamen est a Magistratu confirmandus. (*b*) Nec datur Curator regulariter, nisi volentibus, præterquam in



---

[a] L. ff. muner. & oner.
[b] l... in fin. S. 2. & 6. ff. confir. Tut.

litem, in qua minor Curatorem accipere cogitur; nec ad regendam Personam datur; sed ad res administrandas Curator; ideoque potest ad certam rem, vel litem, vel Patrimonii portionem dari. Et datur Pupillo etiam repugnanti a Magistratu, quando illi suus adesse Tutor nequit.

Datur etiam Curator Prodigis, postquam eis Magistratus bonorum administrationem interdixerit. Sed si detur furiosis, curatio pertinet ad Proximiores Consanguineorum. Et finitur ea post absolutam minorem ætatem, aut cessante furore, aut sublata necessitate rerum gerendarum.

## *De satisdatione Tutorum vel Curatorum.*

## TITULUS IX.

CUm Tutor, vel Curator suscipiunt Tutelam, coguntur satisdare, sive data cautione per Fidejussores promittere rem Pupilli, aut minoris salvam fore, & se cum illorum utilitate administraturos. Deinde jubentur describere omnia illorum bona: quæ descriptio Inven-

ventarium appellatur. Et propter hanc cautionem, quæ vocatur *rem Pupilli salvam fore*, Tutorum, & Curatorum bona Pupillo, vel Adolescenti tacite sunt obligata.

Eximuntur autem ab obligatione satisdandi Tutores testamentarii, sive testamento dati; & qui à Magistratu dantur ex inquisitione. Quamvis autem satisdare Testamentarii non cogantur, tamen si ultro satisdederint, propter majorem Pupilli utilitatem in administratione capessenda præferuntur aliis Contutoribus. Quamobrem electio datur cuilibet eorum aut satisdandi, aut offerendi alteri satisdationem, in ejusque arbitrio ponere an velit satisdare si cupiat præferri; alioquin ipse satis offerens præferetur. Quod si omnes erunt parati satisdare, Prætoris erit eligere magis idoneum.

At si Pupilli, neque a Tutoribus, neque a datis Fidejussoribus suum Jus consequi possint, & damnum acceptum reparare; tunc actio, quæ subsidiaria dicitur, eoquod in subsidium datur, vertenda est contra ipsos Magistratus, qui eos Tutores, vel Curatores, aut satisdare non coegerunt, aut minus idoneam satisdationem, sive fidejussores non locupletes comprobarunt, exceptis Magi-

stra-

ſtratibus, Romanis, & Majoribus, quos Dignitas eximit ab hac actione. (*a*)

# *De excuſatione Tutorum, vel Curatorum*

## TITULUS X.

POteſt quis effugere onus gerendæ Tutelæ, aut Curationis, ſi juſtam adduxerit cauſam apud Judicem, per quam excuſetur. Prima cauſa eſt numerus Liberorum trium Romæ; in Italia quatuor, in Provinciis quinque.

Secunda excuſationis cauſa eſt administratio publicarum dum geritur, fiſcalium, ſive rerum.

Tertia eſt abſentia Reipublicæ cauſa: quæ excuſatio durat donec abſunt, ſi Tutelam ſuſceperint, nam redeuntes eam recipiunt; Sed ſi eam non antea ſubjiſſent; annum vacationis poſt reditum habent, antequam cogantur.

Quarta eſt ſublimitas Magiſtratus Majoris, quem qui gerunt oblatam recuſa-

re

(a) L. 4. C. de Magiſtr. conven.

re Tutelam poſſunt, at non deponere ſuſceptam.

Quinta litigium cum Pupillo de omnibus bonis.

Sexta eſt geſtio præſens trium Tutelarum ex Familiis, Patrimoniiſque diſtinctis, procedentium.

Septima notabilis inopia Tutoris.

Octava ægrotatio.

Nona ignorantia puerilium Litterarum.

Decima livor Teſtatoris, qui eum ad Tutelam vocaverit, ut litibus implicaretur.

Undecima capitales inimicitiæ ſine reconciliatione; niſi datus fuerit ab ipſo Teſtatore, qui ea delatione Tutelæ odium remiſiſſe cenſetur.

Duodecima ætas vel immatura, vel confecta Tutoris: vel ſi ſeptuageſimum annum exceſſerit, vel ad vigeſimum quintum non pervenerit.

Decimatertia eſt militia.

Decimaquarta eſt publica profeſſio liberalium artium. E quibus Juriſprudentia non tribuit excuſationem, niſi cum quis Romæ doceat: alioquin nemo plus proderit Pupillis, quam Juriſconſultus, & Cauſidicus Tutor: ideoque non excuſatur. Qui plures habet excuſationum cauſas, & ab aliqua fuerit rejectus, poterit

terit aliis uti, atque excusationem probare intra quinquaginta dies continuos, in quibus scilicet, & feriæ numerantur, & alia impedimenta, si ad centum millia passuum Tutor absit a loco, ubi est datus.

Si vero absit ultra, tum dies unus in vicena millia passuum conceditur, & præter dies itineris alii triginta, itaut computatis triginta his cum diebus itineris, Tutor non habeat pauciores dies quam quinquaginta. Excusatio vero proposita, probanda est intra Menses quatuor continuos.

Curatores has excusationes habent præcipuas, quod si Tutelam gesserint, possunt Pupilli sui puberis curationem recusare. Item Maritus quamvis sit Dominus rei dotalis constante Matrimonio; tamen rerum extradotalium Uxoris minoris 25. annis non potest esse Curator.

Si quis falsam excusationis Causam adduxerit, quamvis ea in Judicio recepta fuerit, Decretum tamen est nullum; nec Tutor ab injuncto onere liberatur.

# *De ſuſpectis Tutoribus.*

## TITULUS XI.

TUtores omnium generum, & Curatores propter fraudis ſuſpicionem à Judice removentur, & à quolibet de Populo accuſantur, immo etiam a Mulieribus, quamvis extraneis: nec aliqui ab hac accuſatione removentur, niſi propter conſilii imbecillitatem impuberes, qui fraudem odorari non poſſunt, niſi Curatorem accuſent proprium ex conſilio Conſanguineorum.

Suſpectus autem quis arguitur non ſolum ob egeſtatem, ſed propter mores & avaritiam, & fraudem.

At ſi quidem Tutor non ob culpam levem, & mediocrem negligentiam removeatur, ſed ex dolo & culpa lata incurret infamiam; quam effugiet ſi Prætor remotionis cauſam in Decreto non inſeruerit.

In locum autem Tutoris remoti, donec ſuſpecti cognitio duret, intereà ſubſtituendus eſt alius, qui Tutelam abſoluto Tutori reſtituet.

Quia vero Pupillo ex propriis bonis ali-

alimenta capere non licet; ideo ei decernuntur a Prætore, præsente Tutore, ac facultates Pupilli profitente. Ac si Tutor copiam sui non faciat, alimentorum causa mittitur Pupillus in possessionem bonorum Tutoris, veluti Debitoris latitantis. Ac si nequidem Tutor hac ratione adesse velit, ut suspectus removebitur.

Si tutor fuerit mendax, & falsò neget bona Pupilli ad alimenta sufficere; vel si probetur data pecunia Tutelam sibi deferri curasse, aut Pupilli bona dolo destruxisse, aliamve fraudem comparasse, non modo cum infamia erit removendus, sed étiam gravius a Magistratu puniendus. Nec proderit Tutori, qui Tutelam fraudolenter administrat, satis offerre, & Pupillo cavere. Et è contrario quamvis Tutor sit pauper, tamen si probitate sua suspicionem fraudis excludat, Prætore adprobante Tutelam retinebit.

*Finis Libri Primi.*

IN-

# INSTITUTIONUM JURIS RECEPTIORIS

## LIBER SECUNDUS

### *De Rerum diviſione, & adquirendo earum dominio.*

### TITULUS PRIMUS.

RES aut communes ſunt, aut publicæ, aut Univerſitatis, aut nullius, aut ſingulorum.

Communia ſunt ea, quæ ob eorum immenſitatem comprehendi univerſa nequeunt, ſed tantum particulariter a ſingulis occupantur. Qualis eſt Aer, Aqua profluens ſive de pluvia, ſive de Fluminibus, aut aliunde colligatur, quale item eſt Mare, & propter Maris uſum etiam Littus; adeo ut Maris uſus pateat omnibus ad navigandum, & ad piſcandum: ſicut & uſus Littoris, quo receptum omnes habere debemus, eo-

que

que jure proprio utimur, dummodo abstineamus a Casis, sive Tuguriis, & Ædificiis eorum, qui ante nos opere suo solum illud occuparunt: quod si opus fuerit sublatum, ea littoris portio ad communem redibit usum: Unde ita licet opera in litore exercere, ne Maris usus deterior evadat. Est autem littus quousque hibernus Maris fluctus exiverit.

Et quamvis Mare sub nullius dominium veniat, tamen Jure Gentium possumus Hostibus nostris, quoad vires nostræ pertinent, illud prohibere, ac ratione custodiæ, sumtuumque in ea faciendorum vectigal exigere a prætereuntibus, quibus opera nostra Mare pervium, ac tutum præbemus.

Publica sunt, quorum proprietas vel dominium est alicujus Populi, usus verò singulorum, vel Civium, vel aliorum, qui Hostium numero a Populo illo non habentur. Qualis est Portus, & Flumen, sive corpus illud aquæ ab Alveo comprehensum; nam aqua particulatim hauriendа, ut diximus, est communis, & appellatur aqua profluens. Fluminis item nomine non Torrens, sed aqua perrenis venit.

Ideò cuilibet in Flumine piscari licet, cum usus illius sit communis,

pro-

proprietas publica ; ſicut & venarum metallicarum, quæ ſunt etiam in dominio Populorum, & Populorum nomine venerunt in dominium Principum, a quibus Populorum Jura ſuſtinentur, eaque ratione arbitrio eorum Fluminum, & Metallorum uſus, quamvis communis, prohibetur, ex *tit. Feud. Quæ ſunt regalia :* qui etſi conditus fuerit Imperatoris cauſa; tamen illum ſibi omnes attribuerunt Reges, & ſummi Principes, a quibus Metalla ceteris interdicuntur.

Ripæ quoque uſus eſt publicus; quamvis proprietas ſit ſingulorum, qui prope Prædia poſſident: ideoque licet omnibus onera in Ripa deponere, ac funes Arboribus religare, dummodò ne Arbores evellat, & cædat, quæ ſunt pars finitimorum Prædiorum : unde illorum Domini dominium etiam retinent & Arborum in Ripa natarum. Eſt autem Ripa quò Flumen cum eſt pleniſſimum, naturaliter aſſurgit.

Res Univerſitatis ſunt quæ dominio ſubjacent alicujus civilis corporis, puta Urbis, Collegii : quarum uſum habent ſinguli Civium, vel Collegarum: qualia ſunt Theatra, Stadia, Porticus, Forum, Viæ, & ſimilia.

Res nullius dicuntur quæ aut in nullius dominio ſunt, aut uſu ; ſed eſſe tan-

tantum poſſunt, veluti feræ Beſtiæ, quæ antequam caperentur nullius dominio ſubjacent, ſed ſub capientium dominio cadunt; vel neque ſunt in dominio alicujus, aut uſu, neque eſſe queunt, quales ſunt res ſacræ, ſanctæ, religioſæ, quæ ad nullius dominium, & ad Numinum tantum vertuntur uſum.

Res autem ſacræ ſunt, quæ ritè, ac ſolemniter per Epiſcopos, & Antiſtites Deo conſecrantur.

Religioſæ ſunt ea quæ ad humationem Cadaverum ſpectant: quamvis nunc nomen hoc latius acceptum ſacras etiam res comprehendat; ſicuti & ſanctum, quod cum ſacro confunditur: quamvis ſancti etiam appellentur Muri Civitatis, quia publica lege ſancitur, ne quis eos tranſiliat: & ſancti quoque a Juriſconſultis dicuntur Legati ab Hoſtibus, vel ad Hoſtes miſſi, quos nefas eſt a quoquam Hoſtium, vel Civium violari: & qui eos violaverint, Hoſtibus deduntur.

Singulorum ſunt res, quæ cum antea eſſent nullius, poſtea occupatæ in privatorum dominium pervenerunt. Eſt autem dominium arbitrium, & jus de aliqua re diſponendi. Quod vel naturale eſt, quale dominium eſt Mulieris in re dotali, quæ ad Mulierem origine ſua

ſpectat: vel civile, quod vi, & poteſtate Juris transfertur in alium, quale dominium eſt, quod lex in eadem re dotali manente Matrimonio, concedit Marito. (*a*)

Item dominium vel plenum eſt, cum quis rei proprietatem habet, & poſſeſſionem, adjectis emolumentis; vel non plenum, cum quis ſine emolumentis, & poſſeſſione, tantum habet proprietatem.

Hinc rurſus dominium vel directum eſt, quod habet is, ad quem ſpectat proprietas rei, cujus alius potitur jure percipiendi fructus, qui dicitur uſufructuarius; & utile, ad quem emolumenta tantum, & poſſeſſio ſpectat, cum proprietas ſit apud alium, qui proprietarius appellatur. Ac dominium vel Jure Gentium, vel civili adquiritur. Ac primum de Jure Gentium diſſeramus.

Igitur Jure Gentium per occupationem Dominium adquirimus Ferarum, & Animalium, quoniam ſunt nullius, & noſtra evadunt, donec per fugam, aut per dimiſſionem noſtram, ſe in naturalem receperint libertatem, quocumque in loco capiantur, ſive in aere, ſive

(*a*) L. penult. C. de jur. dot.

sive in Mari, sive in Terra, non minus in fundo proprio, quam alieno; etiamsi Dominus antea prohibuerit ne ingrederemur. Nam ea prohibitio ei adquirit adversus nos actionem injuriarum, quia illum sprevimus, sed non mutat naturam feræ, quæ, cum sit nullius, semper est occupantis. Adeout quamvis quis Feram vulneraſſet, tamen si post vulnus alius eam cæpisset, fiat capientis, qui eam occupavit; cum plura evenire potuissent, ne a vulnerante caperetur.

Apes quoque, cum Avium instar feræ sint naturæ, atque infinitam vagandi habeant libertatem, non sunt nostræ, nisi nostris Alveariis exceptæ; nam inde migrantes, veniunt in potestatem alterius occupantis, quamvis prius in Arbore nostra cellulas, sive favos extruxerint, & nos ingredientes prohibuerimus, ex qua prohibitione actionem injuriarum habemus. Imo etsi Apes ab alio non occupentur, tamen si de fundo nostro avolaverint, nostræ non manebunt, nisi eas in conspectu nostro habeamus, atque ad nos revocare possimus.

Animalium autem, quæ feram quidem naturam origine sua referunt, cura tamen hominum solent manſuefieri,

qua-

quales Columbæ ſunt, Pavones & Cervi, dominium retinemus etiamſi è conſpectu noſtro abſceſſerint, dummodo redeundi animum retineant : quem animum abjeciſſe cenſentur, cum revertendi conſuetudinem dimiſerint. Quod Judicum prudentiæ diſcernendum relinquitur. Ac ſi revertendi animum dimiſerint, rurſus tranſeunt in dominium capientis.

Contra vero quæ feræ non ſunt naturæ, ut Anſeres, & Gallinæ, quamvis procul a noſtris oculis, & Ædibus abierint; tamen quocumque ſint loco noſtra remanent, ut qui ea cæperit, nec reſtituerit, Fur cenſeatur, nec dominium illarum nanciſcatur.

Bona hoſtium immobilia, & mobilia, quæ capiuntur in ipſo Prælio publice ab exercitus Duce indicto, Populo, & Reipublicæ, pro qua bellum geritur, adquiruntur; at mobilia hoſtium, quæ voluntariis Militum ſingulorum conflictibus, & excurſionibus capiuntur, de quibus loquitur *Textus Inſtitutionum*, migrant in capientium dominium. Quæ tantum hoſtibus auferuntur, cum bona ad ſuos remigraverint; ſicut & Servi, ſi Patriam repetant, in priſtinam libertatem revertuntur.

Per inventionem etiam dominium adquirimus, cum comprehendimus gemmas, & lapillos in littore Maris, ab ipso littore Mari, vel Terra productos. Lapilli autem a Gemmis distinguuntur, quod non ut illæ pelluceant. (*a*)

Cum autem partus portio sint maternorum Viscerum, propterea nostra sunt quæcumque de Animalibus nostris nascuntur.

Alluvione quoque dominium adquirimus cum scilicet obscuro, & assiduo incremento aliquam Terræ portionem Agro nostro Flumen adjecerit; non verò aliquam Agri alterius partem Agro nostro violenter addiderit: nam ejus partis dominium non adquirimus, nisi Arbores illius in nostro Agro radices egerint.

Insula in Mari nata est occupantis: nata verò in Flumine, Alveoque illius adquiritur proximiorum fundorum Dominis. At si Flumen divisis brachiis complectatur, & in Insulæ formam redigat Prædium aliquod, illud a priore dominio non abscedit. Sed si Flu-

---

(*a*) L. cum autem 19. §. Gemmæ ff. de aur. & arg. leg.

ſi Flumen mutaverit Alveum novus Alveus fit publicus, ſicut & Flumen, & vetus tranſit in dominium proximiorum Dominorum. Inundatus verò Ager dominium minimè mutat.

Per ſpecificationem adquirit rei dominium is, qui bona fide putans materiam eſſe ſuam, ſpeciem confecerit ex materia aliena, quæ non poſſit amplius ad priſtinam naturam reverti, puta ſi quis ex alienis Uvis, quas ſuas putabat, Muſtum expreſſerit; nam Muſti Dominus efficitur; quamvis Uvarum pretium perſolvere debeat. Sed ſi putans argentum eſſe ſuum, ſtatuam ex Argento alieno fuderit; tum quia opus vincitur potentia materiæ, quæ ſemper etiam in Statua argentum eſt, ſtatuæ dominium acquiritur materiæ Domino, qui pretium Opificii, ſi ſuum argentum repetat, perſolvere cogitur. Sed ſi quis partim ex ſua, partim ex aliena materia opus confecerit, tum quia, & Opificium, & materiæ partem propriæ contulit, ſine ulla diſtinctione, ſibi ipſi dominium ſpeciei adquirit.

Confuſione dominium adquiritur plurium liquidorum: quæ ſi voluntate Dominorum ſimul confluxerint, communia fient; ſed ſi fortuitò, non aliter erunt communia, quam ſi ſeparari nequeant:

ut si vina misceantur variorum. At si res confusæ recipiant separationem, puta Plumbum, & Argentum, tum singuli materiæ suæ dominium retinent: ac re dissoluta, alter Plumbum, alter Argentum suum vindicabit.

Conjunctione dominium adquiritur, cum bona fide in solo nostro ex aliena materia ædificamus. Nam quamvis materiæ Dominus dominium illius retineat; tamen totius Ædificii dominium nostrum erit, nec materiam suam potest Dominus, nisi dissoluto ex aliquo casu Ædificio, vindicare. Sed si ex propria materia in alieno Solo ædificavimus, alienum esse scientes, Ædificium solo cedet, & etiam materiæ Dominium ad Dominum Soli transibit, ut nequidem eo dissoluto, materiam repetere possimus. Sed si Solum, quod erat alienum, nostrum esse putaverimus, materiæ dominium retinebimus, neque Ædificium Domino soli tradere cogemur, nisi ab eo materiæ pretium acceperimus; aut si Ædificium non possideamus, sumtus a nobis factos Judicis officio repetemus.

Satione dominium acquirimus, si semen alienum, quod nostrum putabamus, in nostro fundo sparserimus; sed ad æstimationem seminis Domino condemnabimur.

At

At ſi alius bona fide ſemen proprium jecerit in fundo noſtro, ſeminis dominium quidem amittit; ſed non ante fundum reſtituet, quam ſeminis pretium recuperaverit.

Si verò quis ſciens fundum eſſe alienum, in eo feminaverit, omni remedio deſtituetur.

Literæ, ex recepta jam Gloſſæ opinione noſtris temporibus, chartæ non cedunt; ideoque qui ſcripſit, dominium Chartæ adquirit, ejuſque cum literis retentæ pretium perſolvit.

Item ex Juſtiniani Conſtitutione, Tabula Picturæ cedit. Unde qui pinxerit in Tabula aliena, habebit actionem directam contra Dominum Tabulæ poſſidentem: Dominus verò per exceptionem doli mali, non ante reſtituit, quam pretium Tabulæ conſequatur. At ſi pictam Tabulam poſſideat, Dominus Tabulæ civili actione agit adverſus Pictorem; Pictor autem, exceptione doli mali, Dominum excludere poterit, ſi is, Tabulam repetens, Picturæ pretium ſolvere nolit.

Per poſſeſſionem bonæ fidei dominium adquirimus ementes, aut dono accipientes a non Domino, quem Dominum tamen exiſtimamus: Tum enim quia rem, etſi alienam, tamen juſto

emptionis, aut donationis titulo possidemus, fructus a nobis consumptos, adeo nostros facimus, ut nequidem eos restituere cogamur, si ad rem restituendam a Judice damnemur; sed tantum separatos a solo, & non consumtos, vel perceptos post litem contestatam; a quo tempore, quia rem alienam novimus, incidimus in malam fidem, & ideo ad restitutionem obligamur. Malæ fidei enim possessor, neque de consumptis, neque de extantibus lucratur; sed omnes restituere tenetur.

Fructus autem vel civiles sunt, nempe venientes ex civilibus contractibus, quales sunt pensiones v. g. domus locatæ, atque usuræ pactæ inter contrahentes; vel ipsius naturæ sponte veniunt, ut herbæ, fœnum, & fructus naturales appellantur; aut accedente opera hominis a Natura producuntur, ut Frumentum, Vinum, & dicuntur industriales.

Usufructuarius verò, & Colonus, sive Conductor perceptorum tantum fructuum dominium adquirunt: quos autem non perceperint, ii post mortem illorum, ad proprietarium, non ad hæredes eorum pertinent. (*a*)

Quamo-

(a) L. 13. ff. quibus mod. usufr. amit.

Quamobrem & fœtus Animalium tamquam fructus ad usufructuarium spectant, excepto partu Ancillarum, qui spectat ad proprietarium; cum absurdum visum fuerit hominem homini esse in fructu. (*a*)

Ita verò Fructuarius in fructibus lucrandis versari debet, ut de Agnis capita suppleat demortuarum Pecudum, & novas Arbores, & Vites loco veterum substituat.

Per inventionem quoque dominium, jure naturæ, ac gentium, adquirimus pecuniæ absconditæ cujus Dominus ignoratur, nempe thesauri; sed præsentibus ubique receptis moribus, tantum in Fisci utilitatem, Thesaurus invenitur.

Per traditionem transfertur dominium rei traditæ in accipientem, si animus Domini tradentis, & justus titulus accedat; si vero de re incorporali agatur: puta de jure, aut servitute, traditionis loco, erit patientia Domini, & usus alterius.

Rei autem venditæ, quamvis nondum traditæ, nobis dominium adquirimus, si nobis a venditore fides de persolvendo pretio habeatur.

Nec minus dominium transfertur per



[a] L. 28. ff. de usur.

simulatam traditionem, ut si rem, quam mihi Titius debet, jussu meo sibi tradat; eaque fictio brevis manus appellatur, aut si suam esse velim rem sibi a me antea commodatam; vel si quis Claves Domus animo Domus donandæ tradiderit. Quæ venditio per symbolum dicitur.

Transfertur item dominium in certam personam, mittendis donis in vulgus, quæ colligentibus adquiruntur.

Item, & si quis aliquod habeat pro derelicto, & nolit ejus rei dominium habere; tunc enim dominium adquiritur ei, cui rem eam fors obtulerit.

Secus erit, si aliquid, dum curreret, nolenti, de rheda exciderit, aut quid naufragio amiserit, aut servandæ Navis causa in Mari quis projecerit, tunc enim rerum illarum dominium ab eo non abscedit, & inventor Domino sibi noto eas reddere debet, aut publico scripto rem a se inventam denunciare.

Res tandem ex alia divisione, vel corporales sunt, quæ sensibus comprehenduntur, vel incorporales, quæ cogitatione, atque animo contrectantur, ut sunt Jura, sive facultates agendi, aut retinendi, & servitutes, de quibus modo loquemur.

*De*

# *De ſervitutibus Ruſticorum, & Urbanorum Prædiorum.*

## TITULUS II.

SErvitus eſt Jus in aliena re conſtitutum, ut ejus Dominus tolerando, vel abſtinendo alteri proſit Tolerando, ſi ſuo in fundo patiatur v. g. ut alter tranſeat, vel jumentum agat; abſtinendo, ſi v. g. ſe contineat ab extollendo Ædificio ſuo, ne proximo Ædificio alterius lumen adimat.

Sunt autem ſervitutes rei ruſticæ, vel urbanæ, ſicut & Prædia. Prædia urbana ſunt Ædificia; ruſtica ſunt loca Ædificiis vacua. (*a*)

Servitutes ruſticæ ſunt iter, actus, via, aquæductus. Iter eſt jus eundi per Prædium alienum, & conſequenter jus etiam ambulandi, ſive eundi, & redeundi etiam voluptatis cauſa. Et ire intelligimus etiam eum, qui ſella vehitur, & qui Equo. Actus eſt jus agen-



(a) L. Fundi 211. ff. de verb. ſignif.

agendi, sive impellendi, ducendique Jumentum, vel Vehiculum; & consequenter comprehendit etiam iter: cum minus majore contineatur. Et qui actum habet, potest etiam Armenta trajicere. (*a*) Via verò ad iter, & actum, est, ut totum ad partes. Quamobrem definitur jus eundi, agendi, & ambulandi, & trahendi etiam lapides, & rectam hastam ferendi, dum ne fructus quis excutiat, aut lædat, (*b*) Aquæductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum, quod fit vel tubo, vel rivo per longitudinem depresso. (*c*)

His adjiciendæ aliæ servitutes rusticæ, veluti Aquæ haustus ex Puteo vicini Prædii, Pecoris ad Aquam appulsus, sive jus adaquandi, & appellendi Pecoris, & Jus Calcis coquendæ, Arenæ fodiendæ, & similia personis prædiorum causa adquisita, vel voluntate Contrahentium, vel testamento eorum, qui servitutem in suis Prædiis alicui relinquunt, vel præscriptione, sive longa patientia ejus, qui Prædii servientis est Dominus: qui modi sunt servitutum in-

du-

---

(a) L. 12. ff. de servit. rust. præd.
(b) L. qui sella ff. de servit. rust. præd.
(c) L. 1. §. 2. de Rivo.

ducendarum, ſive ruſticæ ſint eæ, ſive urbanæ.

Urbanarum autem ſervitutum celebriores ſunt hæ. Prima eſt ſervitus oneris, ut ſcilicet vicinus ſua columna regat onus Domus alienæ, quam columnam & reficere debet. (*a*) Secunda eſt ſervitus immittendæ trabis, aut tigni in parietem alienum, ut ibi quieſcat. Tertia, & quarta ſunt ſervitutes Fluminis, & ſtillicidii: quæ hoc differunt, quod ſtillicidium guttatim decidit, Flumen continenter fluit. Quibus ſervitutibus efficitur, ut quis Flumen vel ſtillicidium è Tecto noſtro recipiat in ædes ſuas, vel ne recipiat, ſi ego Aqua opus habeam. Quinta eſt ſervitus altius non tollendi, ſi lege Civitatis liceat cuique Ædes tollere. Sexta eſt ſervitus tollendi, ſi lex Civitatis prohibeat Ædium ſublationem in vicis vicinis.

Septima eſt ſervitus, ne luminibus officiatur, per quam prohibemus, ne vicinus Arbore, vel pariete nobis lumen adimat.

Octava eſt ſervitus Luminum, perquam Feneſtras habemus in Ædes, aut Atrium alienum. (*b*)



(a) L. 33. ff de ſerv. urb. præd.
(b) L. eos l. 3. ff. de ſervit. præd. Urb.

Extinguitur ſervitus primo confuſione ; cum quis dominium adquirit ejus Fundi , in quo ſervitutem fundaverat : cum enim habeat totum , ſervitus non conſtituit partem ſeparatam . Secundo, ſi quis Domino fundi ſervitutem remittat , & cedat . Tertio per non uſum decem Annorum inter præſentes , & viginti inter abſentes , ſi ſervitus habeat uſum intermiſſum , puta , ut quis alternis menſibus Aquæductu utatur : tum duplicato tempore opus eſt ad interitum ſervitutis , puta viginti annis inter præſentes , quadraginta inter abſentes; hoc eſt , inter eos, qui habitant non in una , ſed in diverſis Provinciis. [a]



[a] L. ſi ſit. 7. ff. quemad. ſervit. amitt. l. 6. ff. de ſervit. Præd. urb. l. 3. C. de ſervit.

# *De Usufructu.*

## TITULUS III.

USusfructus est servitus, quæ non Prædio, sed Personæ debetur, ideoque servitus non realis, sed personalis appellatur: Et est jus alienis rebus utendi, fruendi, salva earum substantia, Ideoque quando constituere volumus usumfructum in iis rebus, quæ usu consumuntur, puta in Oleo, Vino, Tritico, quibus nemo potest uti frui, nisi ea consumat; oportet caveamus, nos, jure utendi fruendi extincto, tantundem reddituros eorum, quorum accepimus; ut substantia illorum in cautione conservetur.

Cum autem usufructus sit servitus, quæ Personæ debetur, propterea extincta illa Persona, vel in servitutem redacta, vel Civitate privata, ususfructus extinguitur, & redit ad suam proprietatem, nempè ad ipsum Fundi Dominum, qui usumfructum alteri debebat. Item perit ususfructus, quando usufructuarius, per triennium non utatur, si habeat usumfructum rei mobilis;

bilis ; vel per decennium inter præsentes , vicennium inter absentes , si usumfructum habeat rei immobilis . Perit etiam ususfructus , si perierit ipsa res , cujus usumfructum habemus , hac distinctione , ut si res mutata nomen etiam mutaverit , puta si tota Domus corruerit , ususfructus Domus intereat ; quamvis enim area remaneat , area tamen non est Domus : aut res mutatione non amittit nomen , & tum ususfructus durabit , puta , si relictus sit ususfructus Villæ , & ejus Villæ Domus collapsa fuerit : tum enim quia sublata Domo , etiam Villa nuncupatur ; ususfructus in Villa consistet ; quamvis pars illius cum Domo perierit .

Tandem perit ususfructus consolidatione , puta , si proptietarius emerit jus , quod alter habeat eo fundo fruendi ; vel usufructuarius emerit proprietatem , puta , fundum alienum , in quo habebat usumfructum : tum enim ea conjunctio in unam , eamdemque personam , & reversio ad suam causam , consolidatio dicitur , & ususfructus cum proprietate junctus , appellatur ususfructus causalis ; ususfructus enim separatus a proprietate verus est ususfructus , & formalis nuncupatur .

Si

Si quis autem cedat alteri usumfructum, tamen ipse usufructuarius manebit, eoque mortuo, ususfructus ad proprietatem redibit; neque cessionarius habebit, nisi utilitatem fructuum, donec usufructuarius vivat.

## *De Usu, & Habitatione.*

## TITULUS IV.

USus est jus utendi salva rei substantia; ideoque tantum necessitati subvenit, cum affert lucrum, quod ex fructibus venit: neque usuarius capere potest, nisi ad quotidianum victum. Ceterum in eo constituendo, & amittendo locum habent eadem, quæ de usufructu diximus, neque locare licet, aut vendere usum.

Est etiam & Ædium usus, distinctus ab habitatione, quæ vendi, locarique potest, & neque per non usum, neque per capitis diminutionem amittitur, cum in facto consistat. Neque admodum habitatio differt ab usufructu: nam licet alteri concedere habitationem, cujus jus habemus: cum is, qui Ædium habet usum tantum, ipse cum Familia possit habitare, aut ad summum cum hospite.

# De Usucapionibus, & longi temporis præscriptionibus.

## TITULUS V.

NUnc veniamus ad modos adquirendi dominii ex Jure Civili, ac primo ad Usucapionem. Quæ est adjectio dominii ex continuatione possessionis per tempus lege definitum. Quod procedit quando quis, justo, sive à Legibus adprobato titulo, puta, emptionis, aut donationis, & bona fide rem possideat à non Domino, quem verum Dominum esse putabat. Igitur si quis mobilia triennio ita possideat, immobilia decennio inter præsentes, hoc est inter eos, qui sunt in eadem Provincia; vicennio inter absentes, hoc est inter eos, qui sunt in diversis Provinciis, eorum dominum, per usucapionem adquirit. Sed requiritur primò possessio continuata, quam neque dejectio ab ea, neque lis a vero Domino contestata interruperit.

Secundò requiritur ex Jure Canonico, ut bona fides, quam ab initio habet possessor adeo duret; ut verum Dominum

num ignoret, donec uſucapionem impleverit. ( *a* ) Quamobrem, ſi poſt mortem Poſſeſſoris, hæres illius ſciat eam rem eſſe alienam, uſucapio ceſſat.

Tertio requiritur ut res poſſeſſa ſit in commercio privatorum, hoc eſt venditioni, aut donationi ſubjaceat, quibus non ſubjacent res publicæ, aut Sacræ: item opus eſt ut careat vitio violentiæ, aut furti. Nam res immobiles alienæ violenter poſſeſſæ, ſi à poſſeſſore vendantur, item furtivæ, quamvis bona fide emantur, nunquam tamen uſucapiuntur, neque a vero Domino abſcedunt; quamvis neſciat emptor eſſe furtivas, niſi poſt violentam occupationem, & poſt furtum res illæ redierint ad ſuum Dominum, nam tum vitium exuunt, ideoque ſi a non Domino alicui vendantur, aut donentur, is, qui bona fide accipiat, dominium illarum per uſucapionem adquirit.

Res Fiſci, cum non ſint in commercio, uſucapi nequeunt, exceptis bonis hæreditatis Fiſco vacantis; cum quis nimirum ſine teſtamento, ac ſine legitimo hærede deceſſerit, quæ antequam

Fiſco

( *a* ) L. ult. de præſcription.

Fisco denuncientur, usucapere licebit.

Qui rem alienam a Fisco, vel ab Imperatore, aut ab Augusta, sive Imperatrice emerit, etiamsi eam non usuceperit, tamen ab initio est securus, neque ab eo avelli potest; sed Dominus ejus rei actionem per quadriennium habebit adversus Fiscum: quam si intra quadriennium non exercuerit, omni remedio destituetur. (*a*)

Præscriptio, post Justinianum, ab usucapione ferè non differt, nisi quod præscriptio extenditur ad longiora tempora, pluraque habet spatia, pro qualitate rerum præscribendarum. Itaque res violenter possessæ, aut furtivæ, quæ spatio decem, aut viginti annorum, aut triennio usucapi nequeunt, longissimo tempore, nempè triginta annorum præscribuntur, sicut & actiones omnes personales. (*b*) At actiones hypothecariæ [*c*] item actiones in Judicio motæ, deinde omissæ; (*d*) & actio-

---

(*a*) L. 2. C. de quadrienni præscript.
(*b*) L. 1. & 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.
[*c*] L. 7. C. de præscript. 30. vel. 40. ann.
[*d*] L. 1. §. ad hæc C. de annal. except.

actiones fiscales, ad res repetendas, nonnisi quadraginta annorum spatio præscribuntur. ( *a* )

Præterea Ecclesiæ bona, nonnisi quadraginta annorum spatio præscribuntur, etiamsi Ecclesia præscribat adversus aliam. [ *b* ]

Contra Ecclesiam autem Romanam præscriptio non prævalet, nisi centum annorum. ( *c* )

Est aliena præscriptio prodiens e possessione, cujus initium in nullius memoria supereſt, quæ dicitur præscriptio immemorabilis, per quam bona fides præsumitur, & justus titulus. [ *d* ]

## *De Donationibus.*

## TITULUS VI.

AD acquisitiones de jure civili pertinet etiam donatio, propter formam

---

( *a* ) L. ult. C. de fundo Patrim.
( *b* ) C. illud. de præscript.
[ *c* ] Novell. ult., & inter 23. C. Sacros Eccles.
[ *d* ] Cap. 1. de præscript. in 6.

mam inde acceptam. Donatio autem est, quod sponte, & nullo cogente conceditur. Nam quod ad referendam gratiam, vel ad servitium remunerandum datur, donatio improprie dicitur, appellatur autem remuneratoria.

Duo sunt donationum genera *mortis causa, & inter vivos.*

Donatio *mortis causa* est illa, cujus causa dirigitur ad mortem, adeout viventis arbitrio revocetur, propterea quod a mortis contemplatione procedit. Quamobrem si quis donet cum vivit non contemplatione mortis, sed tantum utilitatem ejus donationis ad mortem differt, & executionem; is non mortis causa, sed inter vivos donare censetur, quia obligatio incipit a tempore vitæ.

Donatio autem inter vivos consistit statim ut quis voce, aut scripto donaverit, & alter rem donatam acceptaverit, dummodo eam donationem, si quingentum solidos excedat, actis insinuet, hoc est, referat in acta publica. Nam ea pars, quæ talem summam excedit, si donatio non fuerit insinuata, remanet adhuc in dominio donantis. (*a*)

Sunt

---

(*a*) L. Sancimus C. donation.

Sunt autem donationes quædam, quæ cujuſcumque ſummæ ſint, etiam ſine inſinuatione valent: nempe remuneratoriæ, aut ad piam cauſam, vel quæ venit a Principe, aut a Duce in ſuos Milites, aut quæ cedit in inſtaurationem Ædificii. (*a*)

Donatio autem inter vivos revocari nequit, niſi aut Donatarius fuerit ingratus, (*b*) aut Donator poſt donationem ſuſceperit liberos. [*c*]

Si vero Parentes effuſas donationes contulerint in aliquem liberorum, poterunt eæ ab aliis uſque ad competentem ſibi portionem reſcindi. [*d*)

## *De Dote.*

## TITULUS VII.

EST & donatio, quæ a Muliere, vel Mulieris nomine confertur in

---

(*a*) L. ſi quis per reum C. de donat.
[*b*] L. ult. C. de donat.
[*c*] L. ſi umquam C. eod.
[*d*] Tot. tit. C. de in off. don.

in Virum, nuptiarum, & sustinendorum Conjugalium onerum causa, quam dotem appellamus. Cui respondet alia donatio, quæ in retributionem acceptæ dotis a Marito dirigitur in Mulierem, quam Justinianus donationem propter nuptias appellari, & doti per omnia respondere, pariterque incedere jussit, tamquam securitas Dotis: (*a*) quæ donatio nunc obsolevit: & in ejus locum successerunt certæ portiones, quas post mortem Uxoris Vir ex dote lucratur.

Dos autem vel adventitia est, quæ aliundè quam a Patre venit; vel profectitia, sive necessaria, quæ procedit a Patre, cujus officium est dotare Filiam, & ad quem dos revertitur, si ea sine liberis moriatur; non verò si cum Liberis, (*b*) ex interpretatione Martini ubique recepta.

Item vel est æstimata, quæ transit in perpetuum Mariti dominium; adeout soluto Matrimonio, Maritus non debeat, nisi pretium, tanquam rei venditæ, etiamsi perierit; vel in æstimata, cujus possessio, & dominium civile

[*a*] L. ult. C. de donat. ant. nup.
[*b*] L. Dos a Patre C. de Jure dot.

vile manet apud Maritum, donec Uxor vivit: eaque mortua redditur talis, qualis reperitur, dum ne culpa Mariti fuerit facta deterior. Ac mobilia quidem dotalia ſoluto Matrimonio reſtituuntur intra annum, immobilia ſtatim. (*a*) Sed & aliquando, manente etiam Matrimonio, poteſt Uxor cautionis gratia dotem repetere, ſi Vir ad inopiam vergat. [*b*]

## *Quibus alienare licet, vel non licet.*

## TITULUS VIII.

ALiquando evenit, ut qui Dominus eſt alienare non poſſit, & contra qui Dominus non eſt poſſit alienare. Dominus non quidem naturalis, ſed civilis rei dotalis, ut diximus, eſt Maritus, donec Matrimonium duret: & tamen alienare fundum dotalem non poteſt, ne quidem Uxore conſentiente, niſi fun-

(*a*) L. unic. C. rei Uxor. act.
[*b*] L. ubi ad hoc C. Jur. Dot.

fundum acceperit æstimatum : cujus loco debet Maritus pecuniam. ( *a* )

Alienare verò possunt, quamvis Domini non sint, Tutor bona Pupilli, Curator bona minoris, & Creditor pignus Debitoris, quando solemnia *legis ult. C. de Fure dom. impetr.* observaverit in alienando pignore, & illic Decretum Judicis obtinuerit : quod est etiam necessarium, ut supra innuimus in alienationibus immobilium Pupilli, & Minoris : ( *b* )

At Pupillus contra, & Minor, & prodigus, & furiosus, cum sint Domini, alienare tamen non possunt, ( *c* ) uti nec Filiusfam., bona adventitia sibi scilicet vel donata, vel relicta ab alio quam Patris quæritur ususfructus, cujus & ususfructus dimidium qui filium emancipavit, post emancipationem retinebit ; manente semper apud Filium proprietate. Eaque bóna peculii adventitii nomine veniunt.

Pecu-

---

( *a* ) L. 5. 10. §. 4. ff. de Jur. dot.
( *b* ) L. 1. & 2. C. de reb. cor. qui sub tut. & C. de præd., & aliis reb. min. sin. decret.
( *c* ) L. cum alienam. L. lex quæ C. de admin. tut.

Peculium vero profectitium constat ex iis bonis, quæ à Patre ad Filiumfam. veniunt; quæque adeo à Patris dominio non abscedunt, ut quidquid ex iis per Matrimonium Filius comparaverit, & illis negociando adjecerit, totum Patri adquiratur.

Est & peculium Castrense quod componitur ex lucro militari, & quasi Castrense, quod constituitur ex lucro literario: in quibus peculiis Filiusfam. pro Patrefam. habetur, ideoque neque usumfructum eorum Pater habet, sed plena proprietas est Filii adquirentis. Veniamus nunc ad adquisitiones Juris Civilis ex titulo universali.

## *De Testamentis ordinandis.*

### TITULUS IX.

TEstamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Testamur autem vel scripto, vel voce, hoc nuncupativum, illud scriptum appellatur.

Scriptum testamentum ut valeat ita est ordinandum.

Primò testari oportet unico actu, eodemque contextu: adeout tantum propter naturales Corporis necessitates intermitti possit testandi actus. (*a*)

Secundò adhibendi sunt septem Testes, Cives Romani, puberes, ad hoc rogati, ut intersint, sciantque cui negotio adhibeantur. Cives autem Romani hodie sunt quotquot in communione Pontificatus, & Imperii Romani continentur.

Tertiò, ut Testes, & Testator se subscribant, vel Testatoris nomine octavus Testis, si Testator literas nesciat.

Quartò, ut Testes singuli testamentum obsignent.

Quintò, ut Testes adsint in conspectu Testatoris, ipsumque adspiciant. Quæ omnes observationes præscribuntur. *L. hac consultissima C. de Testam.*

Verum eæ solemnitates in aliquibus Testamentis benigne remittuntur. Ac primò in Testamento, ubi instituuntur liberi Testatoris, sivè in Testamento inter Liberos; quod ut valeat, satis est si con-

---

(*a*) L. hac consultissima 21. C. de testam. L. hæredes palam C. qui testam. fac.

ſi conſtet eſſe veram Teſtatoris voluntatem. (*a*)

Secundò in teſtamento Ruſticorum, ubi quinque ſufficiunt teſtes, nec requiritur ſubſcriptio Teſtatoris, aut teſtium, ſi literati deſint. (*b*)

Tertiò in teſtamento tempore Peſtis condito, ubi non plus requiruntur teſtes, quam inveniri poſſunt. (*c*)

Quartò, teſtamentum apud acta Principis inſinuatum valet, etſi ſolemnitatibus careat. (*d*)

Quintò, remittuntur in teſtamento poſteriore, ubi inſtituuntur hæredes, qui venirent ab inteſtato: in eo enim ſufficiunt quinque teſtes. (*e*)

Sextò, in teſtamentis ad pias cauſas, ubi ſufficiunt teſtes duo. (*f*)

Septimò, in teſtamentis Clericorum. (*g*)



---

(*a*) Auth. quod ſine C. de teſtam., & L. hac conſultiſſima C. eod.
(*b*) L. ult. C. de teſtam.
(*c*) Miſing. obſ. 96.
(*d*) L. omnium 9. C. de teſtam.
(*e*) L. 2. §. penult. ubi DD. C. de teſtam.
[*f*] C. relatum de teſtam.
(*g*) D. C. relatum, & C. cum eſſes de teſtam.

Denique jure Canonico testamentum valet conditum coram Parocho, & duobus testibus. Quod habet locum etiam in causa profana, præcipue in Ecclesiastica ditione, & Foro.

Obsignari verò possunt a testibus testamenta non suo ipsorum tantum, sed & alieno, atque Testatoris etiam annulo; nec modò pluribus, sed & uno quolibet annulo, qui characterem imprimat. (*a*)

Ut quis autem possit esse testis, necesse non est eum habere testamenti factionem activam, hoc est posse testamentum condere; sed habere debet saltem testamenti factionem passivam, hoc est, ut possit capere ex testamento. Excepta Muliere, Servo, Furioso; Muto, Surdo, Cæco, qui Testatorem cernere nequit; & Prodigo, cui a Judice sit bonorum administratio interdicta. Hi etenim omnes quamvis capere possent ex testamento, tamen testes esse prohibentur.

De una Domo plures adhibere testes permittitur, adeout etiam Pater cum suo filiofam. testes esse liceat in testamento alieno.

Fi-

---

[*a*] L. 22. ff. qui testam. fac.

Filiusfamilias verò in teſtamento Patris ; & Pater in teſtamento filiifam. de caſtrenſi peculio in Urbe teſtantis teſtes eſſe non poſſunt : quamvis conjunctæ aliæ perſonæ non prohibentur in Conſanguinei ſui teſtamento teſtes adeſſe.

Hæres verò non modo ipſe, ſed & qui ſecum unam perſonam conſtituunt, puta Pater, ſub cujus poteſtate eſt, vel Filius, quem hæres habet in poteſtate, vel Frater hæredis qui cum ille ſub ejuſdem Patris poteſtate manet ; repelluntur a munere teſtium ejus teſtamenti, ubi hæres aliquis eorum inſtituitur : quamvis non repellantur legatarii, & fideicommiſſarii particulares, aliique, cum quibus principale teſtamenti negocium ſicut in hærede non geritur. (*a*)

In teſtamento verò ſine ſcriptis, ſive nuncupativo, ſufficit Teſtatorem palam, hoc eſt, coram ſeptem teſtibus voluntatem ſuam declarare, ut iidem omnes audiant, qui eo mortuo, ſunt de illius voluntate teſtaturi.

Sed ut vitaretur incommodum, quod accidere poſſet ex morte teſtium, ex quibus fides teſtamenti exquirenda eſſet,



(*a*) L. 22. C. de teſtam.

consuevere testamenta hæc a Notariis mandari scriptis, Notarii enim fides pro fide testium recipitur præmortuorum. Hinc; si voce quis aperire nolit mentem suam, sufficiat ei schedulam præferre, quam coram Notario, & septem testibus declaret suam testantis esse voluntatem. Quod de utriusque testamenti natura participat.

Miles verò, qui est in Castris, si testetur, nulla Solemnitate opus habet, dum, quocumque modo, de suæ voluntatis veritate, post mortem constare possit. Et is, quamvis Filiusfam. sit, tamen de peculio castrensi testari non prohibetur. Quod extensum est ad peculium quasi Castrense, de quo professores literari, quamvis Filii familias sint, testari possunt, dummodo communes, ac supra expositas Juris Civilis Solemnitates adhibeant.

In ceteris verò bonis filiifam. testari prohibentur etiamsi Pater consentiat, ne jus publicum, privatorum voluntate lædatur: adeout nec eo Patrefam. facto, Testamentum antea conditum confirmetur.

Testari prohibentur, & impuberes, Masculi nempe ante decimum quartum, Fæminæ verò ante duodecimum annum completum. Qui Anni hac in re,

re, utpote favorabili, completi dicuntur ab iis, si supremam ejus anni diem attigerint.

Item prohibentur furiosi, nisi vel ante furorem Testamentum fecerint vel illud condant furore intermittente, nempe resipiscentiæ tempore.

Item Prodigus, postquam ei bonorum administratio fuerit interdicta; & surdus, aut mutus si literas nesciant. [*a*]

Cæcus etiam, si solo Corporis vitio laboret, per nuncupationem testari permittitur, dummodo voluntatem voce protulerit coram Septem Testibus, & Tabulario: vel eo absente adhibeatur octavus Testis, omnesque subscribant, aut signent. [*b*]

Qui est apud hostes, quia Civitatem amittit, ibi Testamentum facere non potest. Verum quod fecit, dum erat in Civitate, substinebitur, sive apud hostes decedat, sive redierit; Lex enim Cornelia fingit eum nunquam Urbe cessisse.

Obsides etiam, quia pignoris loco sunt, & voluntatem habent impeditam, testamentum facere prohibentur, eorumque bona Fiscus occupat. [*c*]



(*a*) L. discretis 10. C. de Testam.
[*b*] L. hac consultissima C. de Testam.
[*c*] L. 10. ff. quib. non est perm. l. Divus 31. ff. de jur. Fisci.

Pater autem familias, ut rite condat Testamentum debet Filium nominatim aut instituere, aut exhæredare; nam si omnino de Filio taceat, dicitur præterire Filium; ideoque testamentum erit ab initio nullum ex causa præteritionis.

Est autem exhæredatio ademtio portionis lege debitæ. Qualis est ea, quæ a Patre debetur Filiofam. vel nepotibus ex eo, qui locum illius, sive mortui, sive emancipati subierint; non autem aliis Consanguineis, quibus si nihil relinquatur, non dicuntur exhæredati, quia nihil ex testamento iis lege debetur, cum Filio, & Nepotibus ex eo locum illius occupantibus certa portio a lege in testamento paterno statuatur cujuscumque sint sexus; nisi sint emancipati, qui si prætereuntur, testamentum non erit ipso jure nullum, sed rumpetur per remedium a Prætore, sive a Magistratu inventum, quæ appellatur bonorum possessio contra tabulas, per quam Magistratus aditur, ut ejus auctoritate testamentum paternum rumpatur, & Filio emancipato præterito, debita portio, ex paterna substantia decernatur.

Adoptivis Filiis Pater adoptivus non cogitur quidquam relinquere si adoptatus non fuerit ab Avo materno, vel pa-

paterno; in quorum potestatem transit: nam si adoptetur ab extraneo, & a Patre naturali prætereatur, habebit contra Patris naturalis testamentum bonorum possessionem contra Tabulas, ex qua legitimam portionem consequetur.

Miles vero propter militare privilegium, & Mater, & Avia, itemque Avus maternus, quia Filios, & Nepotes in potestate non habent, si filios præterierint, ipso silentio censetur eos exhæredare. Ita vero exhæredati per querelam inofficiosi testamenti, de qua inferius, debitam sibi ex lege portionem obtinebunt.

## *De Hæredibus instituendis.*

### TITULUS X.

INstituere est, cum quis alium subrogat in locum sui morientis. Omnes autem illos instituere possumus, quos a Jure, sive in toto, sive in parte instituere non prohibemur.

Quamobrem qui filios habet legitimos, non potest naturalibus relinquere, nisi unciam, nempe duodecimam hæreditatis partem; at si Liberos legitimos

non habeat, poterit naturalibus relinquere quantum velit: ( *a* ) dummodò, si habeat ascendentes, eis reliquerit legitimam portionem.

Apostatas verò, & Hæretichos ulla in parte permittitur instituere. ( *b* )

Dividi hæreditas potest in quotcumque quis velit hæredes, dummodò ad infinitum numerum non excurrat, & in quotcumque velit partes, quæ potestate Juris trahuntur ad duodenas, ex quibus conficitur as, qui appellatur hæreditarius, quique idem est atque hæreditas. Sed præsentibus moribus potius per certas species corporum hæreditariorum, quam per partium nomina hæreditas a Testatore distribuitur.

Instituere autem possumus vel purè, hoc est sine adjectione ulla conditionis, aut diei, puta *Titius hæres esto*: vel sub conditione, puta, hæres esto, si Navis ex Asia veniet. Quæ institutio si Navis venerit ex Asia, redditur pura, & hæres intelligitur usque a morte Testatoris, antequam Navis ex Asia veniret, quia conditio postquam evenerit,

---

( *a* ) Auth. licet. C. de natur. lib.
( *b* ) L. 3. C. de Apost. L. 4. C. de Hæret. & Manich.

rit, trahit disposition em ad tempus ante reditum; Si Navis non venerit, nullo tempore erit hæres, quasi defunctus decesserit intestatus.

Sed si quis instituatur in diem, puta ad quinquennium post mortem meam, vel ex ea die puta, hæres sit a quinto post mortem meam Anno; istæ adjectiones rejiciuntur, & hæres erit a morte Testatoris, ne si per ea tempora, quæ inter designatos dies interfluxerunt, quis non sit hæres, defunctus contra Juris regulam decedat intestatus. Repugnat autem quem partim testatum, partim intestatum decedere: excepto Milite. (*a*)

Dies incertus pro conditione habetur; quia ignoratur, an dies sit venturus, puta Titius hæres esto, cum consulatum injerit. (*b*)

Persona hæredis debet esse certa, & expressa saltem aliquo indubitato signo, proptereaque conferri non potest in alterius personam institutio, puta, hæres mihi esto quem Titius voluerit.

Irritæ etiam sunt institutiones illæ, quibus alterius voluntatem captamus,



---

[*a*] L. miles ita ff. de Testam. mil.
[*b*] L. si dies ff. quando die leg. ced.

quæque propterea captatoriæ appellantur, veluti ex qua parte me Titius hæredem fecerit, (*a*) ex ea illi mihi hæres eſto.

Conditio impoſſibilis pro non adjecta habetur, nec vitiat inſtitutionem; veluti hæres eſto ſi digito Cælum attigeris. Inter impoſſibiles autem refertur conditio, quæ bonis moribus repugnat, veluti *ſi hominem occideris*; vel quæ facto impleri nequit, veluti ſi montem aureum mihi dederis; vel quæ verborum repugnantia evertitur, veluti *ſi Titius hæres erit, Sejus hæres eſto; & ſi Sejus hæres erit, Titius hæres eſto*; altera enim harum alteram tollit.

Si plures conditiones ſint adjectæ conjunctim, veluti, *ſi hoc & illud factum fuerit* utramque oportet implere; ſi verò disjunctim, nempe, *ſi hoc, aut illud*, ſatis erit alterutrum præſtari.

Hæres inſtituitur recte is etiam, quem Teſtator non vidit, dum ſit certus, veluti Fratris mei *Filius*, qui Athenis vivit.

Inſtitui autem ſub conditione poſſunt omnes, præter Filiumfam., qui inſtitui non poteſt, niſi ſub conditione, quæ ab ipſius pendet arbitrio, quam poteſtatem appellant nempe *ſi Capitolium aſcenderit*.

*De*

(*a*) L. captatoris ff. hæred. inſtit. l. captatoriæ ff. legat. 1.

# *De Uulgari ſubſtitutione.*

## TITULUS XI.

SUbſtitutio eſt ſecundo, vel ulteriori gradu facta inſtitutio. Eaque vel omnibus perſonis, & temporibus convenit, & vulgaris appellatur, nempe hæc, *ſi Titius hæres non fuerit. Sempronius hæres eſto*: vel convenit Pupillo tantum, uſque ad pupillarem ætatem, & pupillaris dicitur, veluti *Filium meum hæredem inſtituo, eique ſi hæres ſit, & in pupillari ætate deceſſerit ſubſtituo Cajum*. Ad hujus exemplum prodiit alia ſubſtitutio, quæ dicitur exemplaris, & fit à Patre Filio mentecapto, & minime ad teſtandum idoneo, deſinitque cum Filii furore ſi reſipiſcat, quæ propterea exemplaris appellatur, inque tertio inſtitutionum loco ponitur. Quarta eſt breviloqua, ſeu melius reciproca, qua inſtituti hæredes, invicem ſubſtituuntur, ſi unus, aut plures eorum hæredes non fuerint. Quinta vocatur compendioſa, quæ plures ſubſtitutionum ſpecies comprehendit, per hæc verba: *Quandocumque deceſſerit*. Qûa formula continetur vulgaris,

garis, pupillaris, & exemplaris. Sexta militaris privilegiata, quæ fit a Milite.

Quæ omnes sunt substitutiones directæ, a quibus differt fideicommissaria, ubi hæres institutus rogatur restituere substituto, quæ & obliqua nuncupatur.

Militaris porrò id habet præcipui quòd directo fit in duplicem casum, nempe, *si hæres non sit*, & *si hæres sit, & postea decesserit*. Nam & hoc altero casu substitutus non tanquam ex Fideicommisso veniet, sed tamquam directo vocatus.

Traduntur autem in substitutione vulgari regulæ tres. Prior est, ut quando institutus adire poterit, substituto non sit locus. Secunda ut substitutio expiret, si hæreditas adita fuerit ex institutione. Tertia, ut substitutio non prosit, nisi substitutis viventibus; adeo-ut qui hæreditatem ex substitutione non adjerit, eam moriens ad hæredem transmittere nequeat.

Si autem quis non adjiciat clausulam *si hæres non erit*, sed simpliciter dicat, *Titium instituo: eique substituo Cajum*, perinde erit ac si eam clausulam adjeciisset. Quæ clausula comprehendit non solum casum si heres esse noluerit, verum etiam casum si heres esse nequi-

verit. (*a*) Eademque clauſula *ſi heres non erit*, varios pro hæredum qualitate parit effectus. Nam ſi adplicetur heredi extraneo ſui juris continet caſum, quo quis neque ipſe ſit heres, neque tranſiens in poteſtatem adoptantis eum heredem fecerit. Etſi adplicetur heredi extraneo juris alieni, continet caſum, quo neque ipſe ſit heres, neque hereditatem Parenti, Dominove quæſierit. Si vero adplicetur heredi ſuo, quem ſua Teſtator habet in poteſtate, ſignificat, ſi ſe abſtinuerit hereditate paterna uſus beneficio Prætoris: cum jure Civili Filius etiam ſine aditione ſit heres.

Si autem unus ſubſtituatur pluribus, is ad omnium partes vocatur, adeout iis decedentibus cunctis, veniat ad totum aſſem. Si plures ſubſtituantur uni, divident ſibi aſſem æqualiter. Si plures pluribus etiam inæqualibus ex partibus inſtitutis ſubſtituantur, partes inter ſubſtitutos itidem æqualiter dividentur. Si ſinguli ſubſtituantur ſingulis, tum quiſque ſubſtitutus auferet partem adſcriptam illi, cui ſubſtituitur.

At ſi plures inſtituantur, & invicem ſubſtituantur, quantitas cuique adſcripta in

(*a*) L. 2. B. hæred. inſt. l. 56. ff. ſolut. Matr.

in inſtitutione, cenſetur in ſubſtitutione repetita; & diviſio inter ſubſtitutos in partes hæreditarias fiet non in viriles, ut hoc in exemplo; *Titius ex uncia hæres eſto, Mævius ex beſſe*, hoc eſt ex octo unciis, *Cajus ex quadrante*, hoc eſt ex tribus unciis. Mortuo Cajo quadrans ipſius dividetur in partes novem, quarum octo feret Mævius, qui fuerat inſtitutus in octo unciis, unam verò Titius, qui fuerat in uncia inſtitutus. (*a*)

Eadem ratione repetitæ putantur etiam in ſubſtitutione additiones, & clauſulæ adjectæ in inſtitutione; [*b*] & legata relicta ab inſtitutis, repetita cenſetur à ſubſtitutis, qui debent præſtare, quod ex mandato Teſtatoris præſtitiſſet inſtitutus. [*c*]

Si verò quis Titium, & Mævium ſcripſerit hæredem, & Mævium Titio; Mævio autem Sempronium ſubſtituerit, eo caſu ſive Mævius præmoriatur Titio, ſive Titius Mævio, Sempronius utriuſque partem habebit. Cum enim alterius hæredis pars adhæreſcat alteri;

per

---

(*a*) L. 1. C. de impub. & ali. ſubſt. l. 24. ff. vulg.

(*b*) Cujac. cum l. 1. ff. de Impub. & aliis ſubſt.

(*c*) L. licet Impubes 74. ff. legat. 1.

per regulam Juris, ne quis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus, decedat, neceſſe eſt ut ſubſtitutus ſubſtituto, cenſeatur etiam ſubſtitutus inſtituto.

## *De Pupillari ſubſtitutione.*

## TITULUS XII.

SUbſtitutio pupillaris, quæ ſit, ſupra eſt expoſitum. Quæ cum à Patre fiat Filio impuberi, quem habet in poteſtate, ſi hæres ſit, & in pupillari ætate decedat, propterea fieri non poteſt Filio emancipato. [*a*]

Per vulgarem autem ſucceditur Patri; per pupillarem ipſi Filio, cui ſubſtituendo Pater teſtamentum condidiſſe cenſetur; propterea ſubſtitutus ſuccedit Filio, non ſolum in Paternis, ſed in aliis etiam bonis Filio aliunde quæſitis. [*b*] At qui adrogato Filio ſubſtituitur, admittitur ad ea tantum bona, quæ adrogatus habuit beneficio adrogatoris. [*c*]

Et

(*a*) L. jam hæc jure ff. de vulg.
(*b*) L. ſed ſi 10. § ad ſubſtitutum ff. vulg.
(*c*) Loco cit.

Et eum quis Filio vulgari modo substituit, nempe *si hæres non sit*, censetur etiam substituisse pupillariter tacite; nempe *si hæres sit, & in pupillari ætate decesserint*: è converso si quis pupillariter substituerit, nempè, *si hæres sit, & in pupillari ætate decesserit*, censetur etiam tacitè substituisse vulgariter, nempe, *si hæres non sit*: adeout vulgaris expressa pupillarem tacitam contineat, & expressa pupillaris tacitam vulgarem. [*a*]

Nec solum instituto ab se Filio, sed etiam exheredato, Pater dare poterit substitutum; in Filii enim commodum cedit, ut Pater pro eo testetur, cum Filio providere censeatur.

Nisi autem Pater testamentum fecerit, substitutio pupillaris non valet. Quæ substitutio adeo ab eo testamento pendet, ut illius casum sequatur, eoque currente, simul etiam illa sit, si ab initio ipsum Testamentum paternum nullum fuerit.

Dupliciter verò concipere substitutionem pupillarem possumus: primo generaliter, nempe ita *Quisquis mihi hæres erit*,

---

(*a*) L. 14. ff. de vulg. & l. 4. C. imp. & alii subst.

*erit, cum Filio meo, ſi hæres ſit, & decedat in pupillari ætate, ſubſtituo.* Secundo nominatim nempe ita: *Si Filius meus hæres erit; & impubes decceſſerit, Titius hæres eſto.* Per generalem ſubſtitutionem non venient ad hæreditatem impuberis, niſi qui ſcripti ſunt hæredes in teſtamento Patris; non qui per ſcriptos hæredes portiones hæreditarias ſubſtulerunt, veluti Pater, qui per Filium ſuum familias hæredem ſcriptum adquiſivit Teſtatoris ſubſtitueutis portionem, niſi adhuc filiusfamilias adquirens maneat in poteſtate. Nam ſi de poteſtate exierit, portionem Pupilli, cui ſubſtituitur, ſibi, non Patri adquiret.

Et ſimiliter hæres illius hæredis, qui a Patre fuit inſtitutus, nihil poterit ex pupillari teſtamento petere. (*a*)

Deinde ad hæreditatem Pupilli non admittitur, niſi qui Patris hæreditatem adierit; alioquin non comprehenderetur ſub illa clauſula: *Quiſquis mihi hæres erit.*

Præterea ſubſtitutus pupillaris, ſub ea clauſula eas ex ſubſtitutione pupillari feret

---

(*a*) L. 3. l. 8. §. 1. ff. vulg. DD. comm. l. Filiofam. ff. l. 1. Duar. de vulg. c. 14.

ret partes ; quas habuit ex inſtitutione.

In ſubſtitutione autem nominatim facta hæc oppoſito modo procedunt. Nam neceſſe non eſt, ut ſubſtitutus filio ſcriptus ſit hæres Patri; aut ſi ſcriptus ſit, neceſſe non habet hæreditatem paternam adire. Satis eſt enim ſi utramque adeat ex pupillari. Tandem ſubſtituti nominatim veniunt in viriles, non in partes eas, quas habuerunt ex inſtitutione : quia ſingulorum nominum expreſſio partium æqualitatem inducit.

Igitur nemo ſubſtitutum directo dare poteſt extraneo aut filio puberi ſed ſolum Miles in iis tantum bonis, quæ ab ipſo Milite veniunt. [*a*] Et ſive per compendium verborum, ſive poſt pubertatem ei ſubſtituerit, ſubſtitutio dum hæres erit impubes, valebit jure communi; at poſt pubertatem valebit ex privilegio militari, jure fideicommiſſi. [*b*] Si verò Paganus puberi directo ſubſtituerit, *quandocumque deceſſerit*, ut directe quidem non valebit, ſed trahitur ad fidei-

---

(*a*) L. 5. Miles ff. Milit. teſt. l. centurio 15. ff. de vulg.
(*b*) L. precibus ff. impub. & al. ſub.

fideicommiſſariam ſubſtitutionem. Et legitimi ſucceſſores cenſetur rogati ſubſtituto reſtituere. (*a*)

## *Quibus modis teſtamenta infirmentur.*

## TITULUS XIII.

TEſtamenta, vel nulla ſunt, quando legitima facultate quis caret, aut legitimas ſolemnitates non adhibuit; vel ſi valeant ab initio, tamen infirmari poterunt: vel quia rumpuntur, vel quia irritentur.

Rumpuntur cum quis facto teſtamento in Filium ſibi aliquem adrogaverit, vel ſi Avus, aut maternus, aut paternus Nepotem adoptaverit; tum enim hi ſuccedentes in locum heredis ſui teſtamentum rumpunt ex cauſa præteritionis: (*b*) qua ex cauſa etiam rumpitur, ſi Teſtator poſt teſtamentum conditum, ſuſcipiat ex Uxo-

---

(*a*) DD. l. verbis civilibus ff. de vulgar.
(*b*) L. ſi quis 18. ff. injuſt. rupt. & irr. fact. teſtam. l. 23. §. 1. ff. de lib. & poſth.

Uxore liberos, (*a*) aut si Nepos, Patre de medio sublato in ejus locum succedat, Avoque fiat heres suus; aut si ante testamentum susceptus ex Concubina Filius, post testamentum, per Principis Rescriptum fiat legitimus. (*b*)

Rumpitur præterea testamentum voluntatis mutatione, hoc est testamento posteriore, etiamsi prioris institutio sit pura, & posterioris conditionalis: adeout etiamsi conditio non eveniat, posterius Testamentum sit inutile, prius vero semel collapsum minimè convalescat. Immo etiamsi posterius Testamentum contineat institutionem hæredis in re certa, rumpetur prius, in quo hæres in toto asse instituitur. Nam detracta rei certæ mentione, habetur pro institutione universali. Et si Tetor in posteriori hoc Testamento, ubi hæres instituitur in re certa adjecerit se velle prius testamentum valere, tum hæres iste scriptus in testamento posteriore accipiet rem illam certam, & quod desit ad quartam explendam; reliquum verò restituet hæredi scripto in anterioribus tabulis: sed etsi quis novum

---

(*a*) L. 3. §. ff. injust. rupt. & irr.
(*b*) Nov. 83. c. 8. 9.

vum teſtamentum non condat, ſi tamen conditum deleverit, aut cancellaverit, illud infringet. (*a*)

Irritum verò redditur teſtamentum, ſi poſtea Teſtator ſtatum mutaverit ſive per capitis mutationem minimum, veluti adrogationem, ſive per mediam, veluti deportationem, ſive per maximam, puta per ſervitutem pœnæ. Sed Filiusfam., qui de bonis caſtrenſibus teſtatus fuerat, ſi emancipetur, teſtamentum non irritabit ſui ſtatus mutatione. [*b*]

Beneficio autem Prætoris, teſtamenta, quæ valuerunt ab initio, quamvis poſtea Teſtatores ſe in adrogationem dederint, ſi tamen ſui juris, tempore mortis inveniantur, neglecto medii temporis vitio, confirmantur. [*c*]

Quo verò prius teſtamentum per poſterius rumpatur, oportet in poſteriore ſolemnitates juris interveniſſe: alioquin ex imperfecto teſtamento poſteriore, prius perfectum non rumpetur. Niſi agatur de teſtamento Militis, vel Paren-

---

[*a*] L. ult. ff. injuſt. rupt. & irr. fac.
(*b*) L. 6. §. ult. ff. injuſt. rupt. & irr.
(*c*) L. 2. §. 2. ff. bon. poſſ. ſec. tab.

mentum inter Liberos, (*a*) vel eorum, qui legitimos successores instituerunt. His enim, quamvis posterioribus, & imperfectis, priora, & perfecta rumpentur. sicuti rumpentur etiam, si a priore testamento condito decennium effluxerit, & Testator coram tribus Testibus declaraverit suam revocandi voluntatem, sive in testamento imperfecto, sive alio modo, nempe apud acta. (*b*)

Porrò ex recepta interpretum sententia, posteriori testamento abrogatum non censeri prius, si in priore derogatum omnibus posterioribus voluntatibus inveniatur: nisi Testator in postrema voluntate nominatim eidem priori testamento derogaverit: nec enim ad illud rumpendum sufficeret generalis derogationis clausula in posteriori adjecta testamento. Antonius Faber (*c*) addit ipsius clausulæ derogatoriæ mentionem in posteriore testamento esse faciendam. [*d*]

Si

---

[*a*] L. 2. ff. in just. rup. l. 22. §. 1. cum auth. seq. & §. 2. C. de testam.
[*b*] L. sancimus C. de testam.
[*c*] Defin. 6. in suo C. de testam.
[*d*] Vid. Cujac. obs. 14. c. 7. l. si quis 22. ff. legat. 3.

Si autem in posteriori testamento Liberi fuerunt instituti, non rumpetur per posterius, nisi hoc perfectum fuerit, & specialem, expressamque prioris illius revocationem contineat. [ *a* ]

Et quamvis generalis regula tradatur, ne prius testamentum, nisi per aliud prefectum rumpatur, tamen si quis, cum imperfecta testetur, declararet heredem in priore testamento institutum, esse indignum ex injuria, quæ Testatorem affecit; instituto excluso, hereditatem Fiscus occupabit: ( *b* ) Quamvis alioquin, neque ex imperfecto testamento Princeps capere possit, neque illam hereditatem adire, in qua institutus fuit ad opprimendum Adversarium Testatoris metu potentatus.



( *a* ) Auth. hoc inter Liberos C. de testam. Perez. eod. tit. sub n. 28.

[ *b* ] L. hereditas. C. de his quib. ut ind.

# *De inofficioso Testamento.*

## TITULUS XIV.

QUando quis contra naturale pietatis officium Filium exheredaverit per quærelam, quæ *inofficiosi testamenti* nuncupatur, ut furiosus arguitur, & ejus voluntas postrema, tamquam amentis evertitur: sicuti evertitur etiam testamentum Matris per hanc quærelam, ubi Filius fuit ab ea præteritus; quia præteritio Matris, quæ non habet Filium in potestatem, non reddit nullum testamentum ab initio. Sed quoniam ipsius præteritio pro exheredatione habetur, ideo Filius tamquam exheredatus quærelam intendet.

Militis tantum testamentum est ab omni quærela securum propter militare privilegium.

Non licet autem exheredare Filium, nisi expressa per ipsum Testatorem causa, probanda vero per heredem.

Causæ verò, propter quas Patri licet Filium exheredare sunt quatuordecim, nempe. [ *a* ]

Pri-

---

( *a* ) Auth. non licet. C. de lib. præter. nov. 115. c. 3.

Prima ; ſi quis Parentibus violentas manus attulerit . Secunda , ſi contumelia eos affecerit . Tertia , ſi capitali crimine eos accuſaverit , excepta cauſa Majeſtatis . Quarta , ſi cum maleficis , maleficii cauſa conſueſcat . Quinta , ſi Parentibus mortem moliatur . Sexta , ſi cum Noverca , vel Patris Concubina ſe conjunxerit inhoneſtè . Septima , ſi Parentes ingenti eorum diſpendio , aut detulerit , aut Magiſtratibus prodiderit . Octava , ſi eos fidejubendo vinculis exhimere noluerit . Nona , ſi eos teſtamentum condere prohibuerit . Decima ſi præter voluntatem , & profeſſionem paternam cum Arenariis , Gladiatoribus , & Mimis verſetur. Undecima , ſi Filia nondum 25. annum egreſſa , nec Patre Dotem negante , luxurioſæ vitæ ſe dederit . ( *a* ) Duodecima , ſi Patrem furentem curare , aut alere neglexerit . Decimatertia , ſi Patrem captivum non redemerit : quo , etiam Patre in captivitate mortuo , bona Filio erepta , tamquam indigni , Eccleſiæ , in alicrum Captivorum re-



[ *a* ] L. ſi Filia , junct. auth. ſeq. C. inoff. Teſtam.

demtionem traduntur . Decimaquarta, si Patre Ortodoxo, Filius in hæresim labatur . ( *a* )

Filio verò licet exheredare Patrem ex his causis : Prima, si Filium capitis accusaverit, excepto crimine Majestatis . Secunda, si lethales ei struxerit insidias . Tertia, si cum Nura concubuerit . Quarta, si Filium testari volentem de bonis sibi permissis prohibuerit . Quinta si Filium captivum redimere noluerit . Sexta, si eumdem furentem alere recusaverit . Septima, si Pater sit hæreticus . ( *b* )

Frater autem his ex causis Fratrem exheredare poterit . Primo, si Fratris testantis vitæ insidietur . Secundo, si Fratrem eumdem capitis accersierit . Tertio, si bonis eum exuere tentaverit.

Sciendum est, rescisso per quærelam Testamento, institutionem tantum corruere, firmis manentibus legatis, & Fidecommissis ( *c* )

Com-

---

[ *a* ] D. novell. 115. h. e. auth. ut cum de appellatione cognosc. §. aliud quoque cap. 7.

[ *b* ] Nov. 22. §. penult. auth. de nupt. Coll. 4. tit. 2.

[ *c* ] Auth. ex causa C. de lib. præt.

Competit quærela hæc liberis etiam adoptivis, ſi ab Avo paterno, vel materno adoptentur : exceptis adrogatis propter quartam, quam accipiunt ex reſcripto D. Pii. [ *a* ] Non tamen à quærela legitimati excluduntur. ( *b* ) Et qui è Concubina ſuſcipiuntur, quamvis Patris nequeant Matris tamen accuſare *inofficioſi* teſtamentum poſſunt : cum ab ejus Succeſſione non repellantur.

Undè quamvis legitimus, non verò naturalis Pater quærelam hanc habeat adverſus Filii teſtamentum ; tamen Mater, etſi non legitimis ex nuptiis conceperit, tamen accuſare Filii naturalis teſtamentum poterit, cum ad ejus Succeſſionem vocetur. [ *c* ]

Parentibus autem utriuſque ſexus legitimis quærela competit, etiamſi non exheredentur, ſed prætereantur : quia ea præteritio teſtamentum non irritat, ſed pro exheredatione habetur.



---

( *a* ) L. 8. §. ſi quis 15. ff. inoff. teſt.
( *b* ) Novell. 89. §. 2. tit. de hæredit. quæ ab inteſt. def.
[ *c* ] L. 17. C. inoff. Teſtam.

Fratribus verò tàm utrinque conjunctis, quàm saltem Consanguineis, non uterinis ( l. 24. C. de inoff. test. & C. Theodos. eod. ) contra testamentum Fratris tum quærela competit, cum in eo turpis persona instituitur: nisi ipse actus non sit turpis. ( *a* )

Porrò tum accusare *inofficiosi* testamentum licet, cum nullum aliud vitium invenitur, unde corruat; vel cum inutiliter aliud vitium fuerit objectum. ( *b* )

Adeout si vel minimum quid fuerit a Patre relictum, quærela conticescat: liceatque Filio supplementum legitimæ debitæque portionis petere per condictionem ex l. *omnimodò* C. *inoff. testam.* reputatis bonis a vivente Patre donatis.

*c* ) Et relinquenda est legitima portio titulo honorifico institutionis. [ *d* ]

Est autem portio debita, quæ legitima

---

[ *a* ] L. 11. C. inoff. test. l. 45. ff. solut. Matrim.

[ *b* ] L. contra 16. C. inoff. testam.

( *c* ) L. si quando 35. §. 2., & 3. C. inoff. Testam.

( *d* ) Nov. 115. §. aliud quoque Capitulum tit. ut cum de appell. cost.

tima vulgo nuncupatur, vel triens, si minus quàm quinque liberos Testator reliquerit, nempe quatuor unciæ, vel semis, nempe Sex unciæ, si reliquerit supra quatuor. [ *a* ] Eaque portio cum omni onere carere debeat, nullum Fideicommissum, aut conditionem impositam recipit: rejici enim ex ea portione ( *b* ) ab herede potest.

Perimitur jus opponendæ quærelæ quinquennio: nec ad hæredes transmittitur, nisi præparata. [ *c* ]

Caret ea qui agnovit legatum ex testamento; sicut & qui testamentum accusavit legatum inde capere prohibetur.

Datur autem contra omnes, qui hæredes sunt, vel in ejus locum succedunt, ut Fideicommissarius, & Fiscus.



---

( *a* ) Loco supr. cit.
( *b* ) L. quoniam in prioribus 32. C. inoff. testam.
[ *c* ] L. 38. C. eo d. l. 6. §. ult. cum. seq. C. eod.

# De Hæredum qualitate, & Differentia.

## TITULUS XV.

HÆredes, aut neceſſarii ſunt, quales erant ſervi, quorum nunc per quam rarum eſt uſus; aut ſui & neceſſarii, quales ſunt liberi in poteſtate, puta Filius, aut Nepos, qui ſuccedit in locum Filii deſcendentis; aut extranei, qui pluribus rationibus differunt ab hæredibus ſuis, & neceſſariis: & præcipuè quia heres ſuus eſt Filius in poteſtate, quem nemo gradu præcedit, & propter vim patriæ poteſtatis, & conjunctionem paternam heres intelligitur; ſivè Dominus, etiam vivente Patre, cum tantum exercitio careat, ideoque ſuus nuncupatur, eaque vox non raro nomen eſt in hoc articulo Juris, ſed nomen adjectivum. Extraneus verò heres eſt qui, aut nullo vinculo poteſtatis, aut nullo nexu Cognationis cum Teſtatore conjungitur.

In aditione item hereditatis extranei differunt plurimum à ſuis, quos ut hereditatem paternam adeant, ſufficit eſſe ca-

capaces tempore Testamenti, & tempore mortis Testatoris; jam enim nisi se abstinuerint beneficio Prætoris, post mortem Patris confestim heredes extiterunt; cum extranei, ut hereditatem adquirant capaces esse debeant etiam tempore aditionis: quo tempore, si Civitatem amiserint, nihil ejus prodest capaces fuisse tempore testamenti, & mortis.

Immò, si de institutione conditionali agatur, capax esse debet etiam implendæ conditionis tempore: nam quæ inter hæc extrema currunt tempora minime considerantur. Capax autem dicitur is, qui testamenti actionem habeat, saltem passivam: hoc est, qui etsi testamentum condendi facultate careat, ex testamento tamen capere non prohibeatur.

Ad hæreditatem adeundam ( *a* ) lex annum dat heredi, exordiendum à die quo scivit hereditatem sibi delatam. Et si heres ulterius aditionem distulerit, Creditoribus perinde ac si adjisset, ob-



[ *a* ] L. ult. §. & hæc quidem C. de jur. delib.

ligatur ; obligatur ; item & legatariis . ( *a* ) Et respectu substituti , ac legitimorum hæredum hereditas habetur pro repudiata , & ad eos transit : [ *b* ] substituto , quamvis in illius locum ingrediatur , tamen & tempus aliud ad deliberandum datur .

At si heres decesserit deliberationi , tempore nondum expleto , quod sibi superfuit temporis ad heredem transmittit proprium : ut intra id residuum de adeunda hereditate deliberet . [ *c* ] suus vero heres , qui se abstinuit , potest , rebus integris , hoc est , non venditis , intra triennium abstensionem revocare . ( *d* )

Verùm hoc deliberandi *jus* per annum a lege concessum minus est necessarium post inventarium à Justiniano excogitatum . Cujus inventarii beneficium

---

[ *a* ] D. L. ult. §. sin autem hoc. C. jur. delib.

( *b* ) Leg. quandiu 69. ff. adquir. hered.

( *c* ) L. cum antiquioribus . C. de jur. delib.

[ *d* ] L. ult. C. repud. vel abstin. hered.

neficio expeditius pericula hæreditaria, & creditorum onus evitamus. Si enim ritè, ut Juſtinianus præcepit bona omnia, & jura hereditaria deſcripſerimus; hereditas defuncti cum heredis patrimonio minimè confundetur, neque heres ſupra vires hereditarias creditoribus, & Legatariis obligabitur.

Conficiendum eſt autem Inventarium, ſi res hæreditariæ præſtò ſint intra nonaginta dies ab hereditatis delatæ ſcientia; vel ſi res procul abſint intra annum a morte Teſtatoris per Tabellarios, ſive Notarios, coram Teſtibus tribus, vel ſaltem duobus, convocatis legatariis, & Creditoribus, adjecta ſubſcriptione heredis; aut ſi literas neſciat, pro herede ſubſcribet Tabularius Teſtibus præſentibus. [*a*]

Quæ tamen ſolemnitates noſtris temporibus aliquatenus neliguntur proter uſum ejus cautionis, quam adjicere ſolemus, per quam dolus heredis excluditur, & Creditoribus pro emergentium bonorum notitia cavetur, cujus cautionis formula talis eſt; *Si quæ ponenda ſunt, quæ poſita non fuerint, & ſi quæ poſita ſunt, quæ poni non debuerint; ne cuiquam ſit fraudi, neque damno.*



(*a*) L. ult. C. jur. delib.

Inſpectis opibus hereditariis, hereditas vel repudiatur, vel aditur expreſſis verbis. In locum etiam aditionis ſuccedit pro herede geſtio, cum ſcilicet quis aliquid agit tamquam heres, aut quod citra nomen heredis agere nequeat: ut ſi bona hereditaria vendat, prædia colat, locet iſtar Domini. (*a*) Quo actu adire cenſetur ſurdus, & mutus: cum pro Infante, & impubere adeat Tutor.

At ſi Furioſo hereditas deferatur Curatori adminiſtranda traditur, ut poſt reſipiſcentiam de illa vel adeunda, vel repudianda deliberet: ac ſi non reſipuerit, hereditas transfertur ad alios vel a lege, vel a Teſtatore vocatos. (*b*)

De

---

(*a*) L. 20. & Sequen. ff. adquir. hered.

[*b*] L. ult. §. 12. cum ſeq. C. de curat. furioſ.

# *De Legatis.*

## TITULUS XVI.

LEgatum est Donatio a Defuncto relicta, ab hærede præstanda, ut intelligamus non propria auctoritate, sed ab heredis manu esse capiendum.

Si autem heres legatum præstare recuset, tribus actionibus conveniri apud Judicem potest. Prima est actio personalis, quæ contra ipsam personam heredis, qui adeundo Legatariis, & Creditoribus obligatur, ex ipso testamento descendit. [ *a* ]

Altera est actio realis, sive vindicatio, quæ nascitur ex rei legatæ dominio, quod ex Constitutione Justiniani transit in Legatarium.

Tertia est actio hypothecaria contra bona omnia hereditaria a quocumque possessa, quæ Legatariis obligata censentur.

Si

---

[ *a* ] L. 1. Comm. de legat.

Si verò legatum ita relinquatur, ut Legatarius illud alteri reddere jubeatur, id appellatur Fideicommissum particulare, quod non differt a Legato, nisi ex hoc onere restitutionis: in cæteris verò legato exæquatur. (*a*) Legari autem potest quidquid est, aut habere in commercio possumus; & si res sit heredis, aut aliena, & paratu difficilis, quam heres redimere jubetur: aut si nequeat, cogitur illius æstimationem præstare: dummodò Legatarius probet, Testatorem sciviſſe rem eam esse alienam; nam si ignoraſset, non creditur eam fuiſse legaturus.

Sicuti & si legaſset rem alteri datam pignori: ejus enim legatum valet; sed heres non cogitur pignus, persoluta pecunia, liberare, nisi Legatarius probaverit Testatorem sciviſse rem eam esse obligatam: alioquin Legatarius propria pecunia, rem eam sibi legatam liberare pignoris nexu debebit.

At si rem alienam sibi legatam Legatarius consecutus fuerit vel ex donatione Domini, vel ex legato ejusdem, vel ex quacumque alia cauſa lu-

---

[*a*] L. 2. C. de legat. & Fideic.

lucrativa, heres non cogitur ejus æſtimationem Legatario præſtare : quia duæ cauſæ lucrativæ in eamdem perſonam, & eadem re concurrere nequeunt; unde tum tantum æſtimationem ab herede conſequetur, quando Legatarius illam antè emerit; vel ex alia cauſa oneroſa comparaverit. Et ſi duorum teſtamentis quid alicui legetur, tum ex alterius teſtamento Legatarius potere poterit rem, ſi ex altero teſtamento tantum æſtimationem fuerit conſecutus, nam in æſtimatione res non continetur, ſed æſtimatio in re; proptereaque, ſi ex uno teſtamento rem habuerit, non poteſt ex altero æſtimationem petere.

Res, quæ in rerum natura non ſunt ſed eſse poſsunt, ut fructus fundi, rectè legantur.

# *De Jure accrescendi.*

## TITULUS XVII.

QUando eadem res legatur pluribus, esse solet inter eos jus accrescendi, per quod in ultimis voluntatibus vacans portio cedit occupatæ. Quamobrem pars deficiens accrescit heredi, si alter heres non sit, aut esse nolit, ne quis pro parte testatus remaneat, pro parte intestatus. Nam, sicut qui solus heres instituitur, si partem hereditatis adeat, necessariò totum adjisse censetur; ita & si sunt duo, aut plures heredes, uno repudiante pars repudiata adcrescit adeuntibus.

Nascitur etiam inter Legatarios jus accrescendi per tacitam voluntatem Testatoris, ex complexu, & conjunctione verborum.

Conjuncti dicuntur qui ad unam eamdemque rem, sive eadem, sive diversa utique re, sive eadem, sive diversa oratione, in eodem testamento vocantur. Est autem conjunctio triplex.

Prima est conjunctio re, & verbis, veluti *Titius, & Mævius mihi heredes sunto;*

*ſunto*; vel *Titio & Mævio fundum Cornelianum relinquo.*

Secunda eſt conjunctio re tantum, veluti *Titius mihi heres eſto*; *Mævius heres eſto*; *vel Titio fundum Tuſculanum do, lego*: *Mævio eumdem fundum do, lego.*

Tertia eſt conjunctio verbis tantum, veluti *Titium, & Mævium æquis partibus heredes inſtituo*; *vel Titio, & Mævio æquis partibus fundum Tuſculanum do, lego*. Ubi naſcitur diſtinctio rei ex verbis *æquis partibus*, quibus fit ab ipſo Teſtatore diviſio. Unde primi dicuntur conjuncti re, & disjuncti verbis; Tertii dicuntur conjuncti verbis tantum.

Quoniam autem in legatis permittitur partem agnoſcere, partem repudiare; & pars legatorum repudiata cedit heredi, quando inter Legatarios non verſatur jus accreſcendi; propterea plurimum refert cognoſcere genus conjunctionis, quo Legatarii nectuntur; ut inter eos jus accreſcendi eſſe, vel non eſſe cognoſcatur.

Igitur, ſi plures ſint conjuncti re, & verbis, pars deficiens, vel repudiata omnibus adcreſcit pro parte legati agniti, & cum onere, quia ex deficientis perſona, cui eſt conjunctus, eam quiſ-

que

que partem capit : ideo vicem subeundo alterius, in ea portione, illius onera ferre debet.

Si eodem in legato sint plures conjuncti quidem re, sed verbis disjuncti, pars deficientis accrescit alteri, absque ullo onere : quia huic solidum est ab initio relictum ; partes autem tantum concursu fiunt ; unde altero deficiente, quod proprium erat recipere intelligitur, non alienum ; propterea onus alienæ personæ suscipere non cogitur. Etenim in conjunctis re tantum, Testator censetur, altero non concurrente, totum ab initio reliquisse ; solo autem concursu partes fieri voluisse. Undè deficientis partem Legatarius capit, non tàm accrescendi jure, quàm non decrescendi : ne sibi decrescat, scilicet, quod ab initio habuit. (*a*)

Ast in conjunctis tantùm verbis ut jus accrescendi locum habeat, late inter interpretes disputatur ; & receptior est ajentium opinio.

Cum quis rem suam legat, putans esse

---

[ *a* ] L. unic §. 11. venit si vero nemo C. de caduc. toll.

esse alienam, non ambigitur legatum valere, etiamsi putaverit esse Legatarii.

Si quis rem a se legatam ante mortem alienaverit, non recessisse a legato censetur, si non necessitate, sed sponte alienaverit. Et si rem legatam pignori dederit, non extinguitur legatum, sed pignus est ab herede luendum.

Creditor cum legat debitori quod sibi debetur, cum liberare velle censetur, ideoque legatum sustinebitur.

Cum verò debitor Creditori legat quod bebet, quamvis leget quod est illius, tamen quia plenius est in legato, quàm in debito, propter expeditiores, & plures legati actiones, legatum valebit: quia Creditor ex eo aliquid majus assequitur. Ideo quando Maritus legat Uxori dotem legatum valebit, quamvis eam restituere debeat heres ipsius: quia hoc amplius ex legato Mulier adquirit, quod statim petere potest dotem ex legato, sine quo heres dilationis beneficium ad solvendum habuisset.

Si species sit legata, eaque sine culpa heredis perierit, neque res ille, neque æstimatio debebitur, sed si legata fuerit quantitas, ea semper debetur, quia genus, & quantitas nunquam perit.

rit . Sed si species perierit per culpam, aut post moram heredis , obligatio adversus eum perpetuatur : & res adhuc extare fingitur .

Si quando non res tota perierit , sed pars ipsius , tum si plura simul æquè principalia , & separata corpora legato comprehendatur , quæ corpora supererunt , legatario debebuntur . Unde si Gallina cum pullis legetur, mortua Gallina pulli debebuntur . At si legetur fundus cum instrumento ; & fundus voluntate Testatoris alienetur , instrumenta non debebuntur , quia sine fundo minimè consistunt ,

Grege legato , quia est universitas Ovium, & si ceteris intereuntibus, una superfuerit , ea debebitur : Et consequenter quidquid Gregi accrescit , vel armento , post testamentum conditum , & in hereditate reperitur , Legatario cedit , in quem lucrum accessionum , & damnum decessionum , in similibus legatis confertur . Domo legata , si ea conflagraverit , area debetur .

Eadem ratione tamquam partes congregatæ legato cedunt columnæ, & Marmora adjecta Domui legatæ post testamentum . Immo si areæ legatæ sit Ædificium impositum , hoc etiam in legatum venit uti superficies, quæ solo cedit.

Si

Si legatum ſit genus, cujus ſpecies ſint a Natura diſtinctæ, aut circumſcriptæ, ut eligi poſſint, veluti Equus, Mulus, Bos, regulariter arbitrium eſt Legatarii quem eligere velit : niſi ex conjectura, vel teſtamenti verbis, electio ad heredem dirigatur.

Cum autem optio, ſive facultas eligendi expreſſe legatur alicui, veluti *optet Titius ex Equis meis quem volet* ; ſi Legatarius ante optionem moriatur, ad ejus heredem eam facultatem tranſmittit. ( *a* ) Et ſi optio legata ſit pluribus legatariis, qui de corpore eligendo inter ſe non conveniant, ſortis arbitrio res dirimetur. [ *b* ]

Legatum porrò rectè relinquitur iis omnibus, qui poſſunt ex alieno teſtamento capere ; adeout etiam poſthumis rectè legetur, & perſonis etiam incertis, quæ aliquo eventu innoteſcere queant.

Si Teſtator in nomine Legatarii, vel rei legatæ erraverit, veluti ſi pro Titio Sempronium, vel pro fundo Tuſculano Albanum expreſſerit ; dummodo conſtet de

---

[ *a* ] L. ult. C. com. de legat.
( *b* ) Eadem l.

de qua persona, vel quo fundo Testator cogitaverit, legatum valebit : nisi Testator cum rem expressit, erraverit in nomine appellativo, & communi, puta, si vestem nominaverit pro suppellectile, non enim revera debebitur.

Item falsa demonstratio, puta Equum, quem emi a Sempronio ; & falsa causa, veluti Titio centum, quia negocia mea curavit, non vitiant legatum : undè dummodo Equus in hereditate inveniatur, & Titius vivat, legatum debebitur : quamvis neque Equus emtus fuerit a Sempronio, nec Titius negocia curaverit.

Sed si causa vertatur in conditionem, puta Titio centum, si negocia mea curaverit, legatum non valebit, nisi Titius negocia curasset.

At si legetur sub modo, puta Titio centum, ut mihi monumentum extruat, peti possunt centum ante monumenti extructionem, præstita cautione de iis restituendis, si modus non adimpleatur.

Legatum autem conditionale non petitur ante conditionis eventum ; nisi agatur de conditione negativa, quæ consistat in non faciendo, cujus potestas collata sit in Legatarium, puta *Titio lego centum, si Cajum non accu-*

*sa-*

*ſaverit*. Tum enim per cautionem a Q. Mutio inventam, quæ Mutiana propterea dicitur, poteſt Legatarius petere centum, ita tamen, ut ſi Cajum acouſaverit, per cautionem jam præſtitam, ea centum, una cum fructibus, ſit redditurus.

Valent etiam per Juſtiniani Conſtitutionem legata ita relicta: nempe *relinquo Titio centum poſt mortem heredis mei*; aut pridie quam heres moriatur. (*a*) Sicuti valent etiam nunc per ejuſdem Conſtitutionem legata relicta pœnæ nomine, veluti *Heres meus ſi Filiam ſuam in Matrimonium Titio collocaverit, vel ſi non collocaverit Titio, centum dato*. Niſi conditiones iſtæ ſint aut impoſſibiles, aut turpes: quæ rejiciuntur manente legato. (*b*)

Permiſſum verò eſt relicta legata, vel teſtamento æque ſolemni, vel codicillis adimere, vel etiam tacitè, ſicet ex alienatione rei legatæ voluntaria, vel exactione pecuniæ nobis debitæ,

---

(*a*) L. unic. C. ut actio ab herede. l. ſcrupuloſitatem. C. de contrah. emt.

[*b*] L. unic. C. de iis, quæ pœnæ nom.

tæ, quam alteri legaverimus ; vel cum vice Testatoris adimit lex exortis inimicitiis capitalibus inter Testatorem, & Legatarium aut mutatione formæ, atque rei legatæ interitu.

Transfertur autem legatum, si quis fundum Titio relictum postea Sejo leget, vel si quis justit ab alia persona dari, veluti *centum, quæ jussi Sempronium dare Titio, Cajus dato*. Vel si quis rem alienam loco rei legatæ dari jubeat ; aut rei purè legatæ conditionem adjecerit. [ *a* ]

## *De Lege Falcidia.*

## TITULUS XVIII.

LEge Falcidia, quæ nomen ducit a Falcidio Tribuno Pleb. Auctore suo, heredibus, quibus nihil, aut minus quarta parte relictum fuerit, licet eam quartam ex legatis detrahere, vel supplere, & ex donationibus cau-

sa

---

[ *a* ] L. 5. & 6. ff. de adim. & transf. legat.

ſa mortis : ( *a* ) inſpecta quantitate Patrimonii ex tempore mortis Teſtatoris : unde, ſi hereditate jacente, patrimonium augeatur, heres habebit quartam, & præter illam etiam augumentum ; ſi minuatur, tantundem ei decedet ex quarta ; non vero ex legatis . Eaque quarta detrahenda eſt deducto ære alieno ; ſicut obtinet & in legatis, quæ nonniſi deducto ære alieno debentur.

Ac ſi plures ſint heredes, qui ſimul omnes legatis onerentur, unam quartam detrahent inter ſe dividendam ; ſi ſeorſum proprium onus habeant legatorum, ſinguli quartam ſuam detrahent.

Atque ita quarta detrahitur, ut cuique Legatario quarta pars pro rata ſuæ portionis adimatur.

At non habet locum quartæ detractio in Teſtamento Militis ; ( *b* ) neque in Legatis ad pias cauſas, ( *c* ) & n re, quam Teſtator alienari prohi-



---

[ *a* ] L. in donationibus C. ad leg. Falcid. & l. 5. C. eod.
( *b* ) L. 7. C. ad l. Falcid.
( *c* ) Auth. ſimiliter C. eod.

buit, ( *a* ) neque in hereditate, cujus Inventarium heres omiserit, ( *b* ) neque si ejus detractio fuerit a Testatore prohibita. ( *c* )

## *De Fideicommissariis hereditatibus.*

## TITULUS XIX.

FIdeicommissum est omne id, quod quis rogatu defuncti dare debet, aut facere: ad quod implendum necessitate Juris adstringitur. Est autem vel universale, cum tota hereditas restituenda est ei, qui in omnibus heredis loco succedit, superstite tantum nomine, ac Juribus inefficacibus in herede rogato restituere, vel particulare, quod per omnia legatis comparatur. Eaque restitutio non solum heredibus in testamento scriptis, sed etiam Consanguineis ab intestato venientibus injungi a Te-

---

( *a* ) Auth. sed & ea C. ad l. Falcid.
[ *b* ] L. ult. §. ult. C. de jur. delib.
[ *c* ] Auth. sed cum Testator C. ad l. Falcid.

Teſtatore poteſt, licetque heredem ita rogare, ut ad certam diem, vel ex certo die reſtituat.

Cum quis autem ita reſtituere rogatur, ut nihil, vel minus quarta parte ſibi remaneat, jus habet ex S. C. Trebelliano detrahendi, vel ſupplendi ſibi quartam, quæ Trebellianica nuncupatur, quæquæ detrahitur ex Fideicommiſſis, ſicuti Falcidia detrahitur ex legatis. Qua Trebellianica detractione, heres gravatus retinet onera hereditaria in portione ſua, cetera verò tranſmittit in Fideicommiſſarium, cui reſtituit, ſimul cum portione reſtituta, [ *a* ] ſive rogetur reſtituere totum, ſive partem, ex qua quartam detrahere poteſt.

Sed qui hæreditatem reſtituere rogatur, deducta certa re, aut ſumma; is Legatarii loco habetur, nec ullus hæreditarium onus in ea ſpecie, vel quantitate ſuſtinet, quia non eſt portio hæreditaria, ſicut quarta, ſed totum onus tranſmittit in Fideicommiſſarium.

Si autem non ſolum hæres, ſed his, cui hæreditas reſtituta fuit, alteri deinde reſtituere rogetur, & heres quar-



---

[ *a* ] L. 1. C. ad Trebell.

tam detraxerit, ſecundus reſtituens aliam quartam detrahere prohibetur.

Si Parens Filium rogaverit, ut hereditatem reſtituat; Filius, qui poſt Patris mortem ſuſcepit Liberos, cum putetur ſub tacita conditione rogatus, ſi liberos non habuerit, eam reſtituere non cogetur. [ *a* ]

Et cum quis rogatur reſtituere ſub expreſſa conditione, ſi Liberos non habuerit, & ſine Liberis Monaſterium, ſed Deo devovens, ingrediatur, filiorum loco Monaſterium ſuccedit, & hereditatem aſſequetur. ( *b* )

Tandem Filius a Patre quamvis hæreditatem reſtituere rogetur, tamen, ſi ei aliunde deſit, poteſt res Fideicommiſſo ſubjectas conferre in dotem Sororis, aut filiarum. ( *c* )

Verba Fideicommiſſorum propria ſunt omnia, quæ deſiderium, & voluntatem rei alicujus dandæ, aut faciendæ declarant: ex quibus ſolemniora, & antiquiora ſunt illa, *peto*, *rogo*, *volo*, *mando*, *fideicommitto*. Sed de verbis hodie nihil laborandum; quia Fideicom-

---

[ *a* ] L. cum acutiſſimi C. de Fideicomm.
( b ) Auth. niſi rogati. C. ad S. C. Trebell.
( *c* ) Auth. res quæ C. de legat. & Fideicom.

commiſſum inductum cenſetur quibuſcumque verbis exprimatur.

Ceterum quæcumque de legatis tradidimus, licebit transferre ad Fideicommiſſa particularia; quæ cum legatis per omnia fuerunt a Juſtiniano exæquata; ut communes jam habeant regulas, nec niſi reſtituendi obligatione diſtinguantur.

## *De Codicillis.*

## TITULUS XVIII.

COdicilli quaſi parvi Codices dicuntur, cum inventi fuerint pro acceſſione, atque appendice Teſtamentorum, ideoque minorem ſolemnitatem requirunt, & a Cujacio definiuntur *teſtati, inteſtatique voluntas minus ſolemnis*: receptum eſt enim poſtea, ut quamvis quis teſtamentum non fecerit, relinquere tamen codicillos poſſit, quibus roget heredes ab inteſtato; (*a*) ita tamen, ut legata ita relinquat, non autem hæreditatem; niſi per Fidei-



(*a*) 2. C. comun. de Legat. & Fid.

commissum præstandum ab hæredibus ab intestato, qui restituere rogentur, quique ex S. C. Trebelliano detrahent quartam: hereditatem enim relinquere directò non licet in Codicillis, ne cum testamento confundantur. Quamvis autem ante testamentum Codicilli scribantur, tamen sustinentur, & testamento postea condito confirmari putantur eodem.

Unius hominis plures quidem esse possunt Codices testamenti, sed ejusdem, ut sint totidem exemplaria illius, non verò testamenta plura; contra verò Codicilli possunt esse plures, quibus diversa diversis Personis relinquantur: quia in iis de universa hæreditate non agitur, neque de summa voluntatis, sed de rebus particularibus, quæ possunt partim uni, partim alteri, diversa scriptura, & voluntate relinqui.

Præterea in Codicillis non requiruntur aliæ solemnitates, nisi quinque testes ad probandam, & muniendam eorum fidem, neglectis solemnitatibus testamentorum aliis. (*a*)

Quoniam autem hereditas relinqui directò nequit in Codicillis, & si di-

re-

(*a*) L. ult. C. de Codicil.

recto relinquatur, trahitur in Fideicommissum, & successores ab intestato rogati censentur, detracta quarta, eam restituere heredi in Codicillis directo instituto; propterea introducta est clausula, quæ codicillaris appellatur; eaque cum robur habeat Codicillorum, adjicitur testamento minus solemni, ut si pro testamento non valeat; Valeat pro Codicillis, & voluntas Testatoris sustineatur.

Et est illa *si non valet uti testamentum, valeat uti Codicilli*. Item alia *valeat omni meliori modo*, per quas clausulas institutio directa trahitur in fideicommissariam, & testamentum vertitur in Codicillo.

Codicilli autem testamento adjecti sequuntur eventum illius, & simul cum eo infirmantur: quod periculum non subeunt Codicilli sine testamento scripti, quia per se consistunt. Quamobrem in Codicillis testamento confirmatis nullas solennitates requirunt interpretes, quia cum solemnitatibus ipsius testamenti comprehenduntur. (*a*)



[*a*] D. D. ad l. ult. D. de Codicill.

# *De Successionibus ab intestato.*

## TITULUS ULTIMUS.

FOns hodie successionum omnium ex Jure recepto, ubi specialibus Statutis non corrigitur, est Novella Justiniani centesima decima octava, quæ in vulgatis Codicibus est *Collat.* 9. *tit.* 1. *De heredibus ex intestato venientibus*, *& de Agnatorum jure sublato*. Itaque nunc ex Justiniani Novella triplex est succedentium ordo, discrimine omni Agnatorum, & Cognatorum, itemque discrimine filiorum in potestate, & emancipatorum sublato. Primus nempe est Descendentium, secundus Ascendentium, Tertius Collateralium.

Quoniam successio defertur proximioris gradus Consanguineis, propterea graduum discrimina tum & Consanguinitatis lineam ex jure civili cognoscere oportet; & gradum computandorum rationem.

Quæ ratio ex Jure Civili est facillima: siquidem tam in linea transversa, nempe collateralium, quam in recta,

ſta, nempe aſcendentium, & deſcendentium hæc regula ſervatur.

Quælibet perſona generata gradum producit, unde ſi tenuerimus communem ſtipitem, unde certæ perſonæ, ſeu generationes prodeunt, continuo habebimus numerum graduum. Sit igitur Mævius Pater, Titius Filius. A Mævio ad Titium eſt una generatio. Igitur Mævius, Liberi, & Titius erunt in primo cognationis gradu, & conſequenter Sempronius Titii Filius erit Mævio Avo ſuo in gradu ſecundo, atque ita deinceps. Et hac in linea tam deſcendenti, quam aſcendenti. Etenim ſit Cornelius Proavus, Sempronius Avus, Cajus Pater, Sejus filius. Si quæratur quoto gradu ſit Sejus Cornelio proavo ſuo, exordiar ab eodem Cornelio, & deſcendendo inveniam Sempronium, quæ eſt generatio una; poſt Sempronium inveniam Cajum, quæ eſt generatio altera; poſt Cajum inveniam Sejum, quæ eſt generatio tertia. Ideoque cognovero Cornelium Proavum a Sejo pronepote diſtare gradu tertio. Quia tres a Sejo ad Cornelium ſunt generationes. Atque hoc de linea recta.

Idem tenendum eſt in linea tranſverſa numerationis inſtitutum. Pro-

dibunt enim tot gradus, quot generationes, indeque eveniet, ut nullum primum gradum, ex Juris Civilis numeratione, in linea tranſverſa cognoſcamus. Quia fratres inter ſe per ſemetipſos non conjunguntur, ſed per mediam perſonam Patris, qui eſt communis ſtipes. Ideoque fratres inter ſe diſtabunt gradu ſecundo; quia ab uno Fratre ad communem Fratrem eſt alia generatio. Unde quia fratres ſunt duæ generationes ſecundo gradu inter ſe conjunguntur. Idem numerandi ordo producitur ad lineam tranſverſam inæqualem. Unde ſi ſcire cupiamus quoto gradu diſtet Sejus a Patruo ſuo, nempe a Patris fratre, capiemus communem ſtipitem Avum, & aſcendendo a Sejo ad Patrem Seii Cajum, & a Cajo ad Sempronium Avum, inveniemus duas generationes, deſcendendo poſt a Seii Avo ad Horatium Seii Patruum Caii Fratrem, invenimus aliam generationem, quia Horatius eſt Filius Sempronii. Unde quia numerando a Sejo ad Horatium invenimus tres generationes, comperiemus Sejum cum Horatio Patruo tertio gradu eſſe conjunctum: & ita deinceps ſive inferius, ſive ſuperius percurramus, ex his intelligitur gradum eſſe partem lineæ, tamquam puncta, ex quibus linea conſtat;

ſtat ; lineam vero eſſe plurium graduum ſeriem , Cognationem vero nexum linearum . Affinitas eſt conjunctio duarum Cognationum per copulam , per quam Cognati duorum Conjugum inter ſe Affines evadunt , & appellantur . Cetera ex Textu .




## *De ſucceſſione deſcendentium .*

LIberi omnes , ſive in poteſtate , ſive emancipati , ſive primi , ſive ulterioris , ſive virilis , ſive Muliebris ſexus , aut ex virili , vel muliebri ſexu venientes , ſive prioris , ſive

posterioris Matrimonii, sive naturales, & legitimi, sive naturales tantum, & postea per subsequens Matrimonium legitimi succedunt exclusis ascendentibus morientis, etiamsi ascendentes sint proximiores defuncto quam Liberi, adeout Pronepos defuncti excludat Patrem ejusdem; Et quamvis Liberi sint disparis gradus, ut si Nepos ex filio mortuo concurrat cum filio vivente, sive thio, is tamen Nepos succedendo in locum Patris sui exæquatur thio, sive Filio ejus, de cujus hereditate quæritur per jus repræsentationis, cujus efficacia est ut Liberi censeantur in eorum persona parentem jam mortuum exhibere. Et propterea succession descendentium est in stirpes non in capita, hoc est dividitur hereditas in stirpes singulas, ut scilicet plures unius stirpis pro uno habeantur; non in capita, hoc est in viriles in singulos eorum. Unde si sint tres Nepotes ex uno Filio concurrentes cum Filio morientis, hereditas dividetur in duas partes, quarum unam capiet Filius, aliam vero sibi dividentaequaliter tres Nepotes Patrem suum repræsentantes. Quamvis autem jure communi sublata sit sexus differentia, & Filia, vel Masculi ex ea pariter cum Filiis succedant: jure tamen pecu-

culiari ſtatutorum Urbis adhuc ea differentia manet: etenim ſorores ab hereditate Patris a fratribus dotem offerentibus excluduntur. (*a*)

Atque hæc de naturalibus, & legitimis, ſuperſunt naturales tantum, & legitimati per reſcriptum, de quorum nunc ſucceſſione diſſeremus.

Naturales tantum ſunt filii, vel ſpurii, hoc eſt vulgò quæſiti; vel ex Concubina ſuſcepti. Spurii nunquam ſuccedunt Patri, quia nullum Patrem certum indicare poſſunt iis, quorum Mater ſe pluribus obtulit: ſed ſuccedunt in bonis Matris, quæ certa eſt, & in bonis Parentum maternorum, non ſecus ac legitimi: cum quibus etiam naturales admittuntur quando Mater non fuerit illuſtris. (*b*) At ſuſcepti ex Concubina quamvis Patrem habere non poſſint eum, quem juſtæ nuptiæ non dederunt, qualis eſt Pater naturalis: tamen quia concubitus hic legibus civilibus non vetatur, alimenta conſequentur ex bonis Pa-

---

(*a*) Lib. 1. cap. 147.

(*b*) L. penult. C. ad S. C. Orph. l. 19. 23. 24. ff de ſtat. hom. novell. 89. c. 12. §. noviſſime inſtit. de S. C. Orphit.

Patris. Et si Pater decesserit sine Liberis, & sine legitima Conjuge, Concubina cum filiis suis ad sextantem, sivè ad duas hereditatis paternæ uncias vocatur. Verum si Filii nati sint ex coitu legibus damnato, puta adulterino, sacrilego, nefario, incestuoso: non modo a paterna, sed etiam a materna successione prorsus excludentur. Tantum Pontificia commiseratione, ac lenitate Juris Canonici eis alimenta ex Parentum bonis decernuntur. (*a*)

Transeamus ad legitimos tantum, sive adoptivos, & adrogatos. Atque adoptivi quamvis inofficiosi arguere testamentum nequeant; tamen Patri adoptivo ab intestato morienti succedunt simul cum legitimis; & naturalibus æqualiter, si tempore mortis non reperiantur emancipati. Adrogati verò succedunt adrogatori in quartam bonorum ejus, & propterea recuperant bona propria, quæ in potestatem adrogatoris transtulerunt. Si verò ante mortem Patris emancipentur ab omni jure successionis cadent, & bona tantum sua recipient. (*b*)

Tran-

---

[*a*] Auth. ex complexu C. de incest. nupt. DD. tit. de eo qui dux. in matrim.
[*b*] Instit. de adopt. §. item non aliter.

Transeamus tandem ad legitimos per reſcriptum Principis ex Patris voluntate, qui tunc denique ſuccedunt cum nulli extiterint Liberi legitimi ex juſtis nuptiis nati : quibus Princeps imminuere invitis paternam ſuſtantiam velle non creditur, cum neque ſoleat iis extantibus naturales ad legitimorum conditionem perducere. (*a*)

## *De ſucceſſione Aſcendentium.*

DEficientibus deſcendentibus defuncto ſuccedunt aſcendentes, ac primo Pater, & Mater, deinde remotiores alii ſervata gradus prærogativa, ut remotiores a proximioribus excludantur : (*b*) Etſi præter Parentes defunctus reliquerit fratres, aut ſorores utriuque conjunctos hi cum Parentibus admittuntur in capita ; (*c*) immò, etſi Fra-

---

(*a*) §. ſit igitur auth. quib. mod. natural. effic. Sui.

[*b*] Novell. 118. cap. 2. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.

(*c*) d. cap. 2. novell. 118. d. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.

Frater, aut soror utrinque conjuncti decesserint relictis Filiis ; hi Filii Fratrum, & Sororum præmortuorum concurrent cum Parentibus defuncti repræsentando personam Patris sui, ideoque succedent in stirpes, (*a*) quæ repræsentatio definit in Filiis Fratrum præmortuorum : nam Nepotes, Pronepotes, & alii, qui sunt deinceps, non concurrunt cum Parentibus defuncti, quia in collateralibus ultra fratrum filios repræsentatio non extenditur. Neque præterea cum Parentibus concurrunt Fratres, & Sorores conjuncti ex uno latere, nempe uterinus, & consanguineus. [*b*] Quamvis autem Pater habeat usumfructum in omnibus bonis, quæ adquirit Filius, tamen in portione, quam habet ex successione Fratris Patri non quæritur ususfructus : quia satis concessum est Patri per successionem ad hæreditatem intestatam Filii, a qua olim ascendentes repellebantur, ideoque cum hoc habeant novum lucrum, æquum est ut Pater lucro

(*a*) Novel. 127. cap. 1. auth. cessante C. de legit. hered.

(*b*) D. cap. 2. novell. 118. auth. defuncto C. ad S. C. Terryl.

cro veteri, nempe uſufructu privetur. (*a*) At ſi Pater cum Matre ſuccedat, Matris cauſa non amittet Pater uſumfructum, quem in bonis adventitiis Filii retinebat, quia proprietarii morte non perit uſusfructus, ſed morte tantum Patris uſufructuarii; propterea que vivente Patre Mater non ſuccedet niſi in dimidio ſolius proprietatis.

Porrò duobus caſibus Parentes a Filiorum hæreditate arcentur. Primo ſi ad ſecundas tranſierint nuptias, ſive de Matre agatur; de qua Lex expreſſe loquitur, ſive de Patre, quem occulta legis ratio comprehendit. Etenim ſi tranſierint ad ſecundas nuptias, & Filius prioris Matrimonii moriatur relictis fratribus, Parentes, qui ſecundo nupſerint in aliis quidem bonis promiſcue cum fratribus defuncti ſuccedent, at tantum ſuæ portionis uſumfructum retinebunt ex bonis Conjugis mortui, quæ in hæreditate Filii reperiuntur, eorumque amittent proprietatem, quæ cedit aliis filiis propris Matrimonii, quorum ſi nulli extabunt, tum Parentes, quamvis ad ſecundas nuptias tranſierint uſumfructum ſimul & pro-

(*a*) D. cap. 2. verſ. Si vero.

& proprietatem ex bonis prioris conjugii, & a priori Conjuge ſibi relictis aſſequentur. (*a*)

Alter caſus, in quo Mater Filii ſucceſſione privatur, eſt, quando Mater Vidua Filio ſuo impuberi intra annum Tutorem petere neglexerit, aut ad infamem vivendi rationem ſe projecerit: indigna eſt enim Filii ſucceſſione, quæ vel illius educationem negligit, vel familiæ famam labefactat. Quando vero non ſuperſit Pater, & Mater, tum hæreditas defertur ad Avum & Aviam, & quidem in ſtirpes, & non in capita, diviſa in duas partes hæreditate, quarum unam capiat Avus paternus, aliam maternus, adeout ſi duo ſint ex parte Patris Avus, & Avia: unus ex parte Matris, nempe Avus dimidium capiat hic unus; dimidium illi duo ſimul (*b*) neque intereſt unde nam bona vel major pars eorum proficiſcantur, a linea paterna, ne, an materna. (*c*)

Cum

---

(*a*) L. Fæminæ C. de ſec. nupt.
(*b*) Novel. 118. cap. 2. auth. defuncto C. ad S. C. Tertyl.
(*c*) d. cap. 2. verſ. ſi autem Gudelin. de jure novis lib. 2. cap. 14. Faber in C. ſuo lib. 6. tit. 33. defin. 2.

Cum diſſeruerimus de Parentibus naturalibus, & legitimis; nunc ad Parentes legitimos tantum veniamus. Atque hi non ſuccedunt impuberi adoptato, ſed bona devolventur ad proximiores impuberis conjunctos: ſi vero ſucceſſuri ſunt puberi, diſtinguendum eſt an pubes ille fuerit adrogatus, aut adoptatus ab aliquo ex aſcendentibus, & tum Parentes legitimi ſuccedent, aut fuit adoptatus ab extraneo, & tum a ſucceſſione adoptans excluditur; (*a*) at non excluditur adrogator. (*b*)

Pergamus nunc ad Parentes, qui Filios legitimarunt. Hi autem legitimatis filiis eodem modo ſuccedunt, quo ſuccederent Filiis ſuis legitimis: & naturalibus. (*c*) Poſtremo de naturalibus Parentibus diſſeramus, qui ſuccedunt Filiis ex Concubina ſuſceptis in duabus unciis, ſive in ſextante, ſicuti de Filiis naturalibus dictum eſt quando ſuccedunt Parenti, qui cum eandem inter ſe relationem habeant, pa-

ri

---

(*a*) L. penult. C. de adopt.

[*b*] §. mortuo infra de adquiſit. per adrog.

[*c*] Forſter. de ſucceſſ. cap. 19. n. 1. & 2.

ri propterea jure comprehenduntur. Spuriis vero, aut ſuſceptis ex damnato coitu minime ſuccedunt. (*a*) Aſcendentes tamen ex linea materna ſuccedunt omnibus Filiis ex damnata conjunctione non ſuſceptis perinde ac ſi e juſtis nuptiis nati eſſent, nulla differentia inducta inter Matrem illuſtrem, aut non illuſtrem: cum ea differentia in Jure inveniatur quando ſucceditur Parentibus, non vero quando ſucceditur liberis. (*b*)

## *De ſucceſſione Collateralium.*

COllateralium nomine veniunt omnes alii agnati, & cognati, qui non ex recta, ſed ex tranſverſa linea, ſive ex lateribus proficiſcuntur. Unde deficientibus aſcendentibus, & deſcendentibus, ſucceſſio defertur ad collaterales omni ſexus, & agnationis diſcrimine ſublato, ſpectataque ſolum gra-

---

(*a*) L. ſi ſpurius ff. undè cognati auth. ex complexu C. de inceſt. nupt.
(*b*) Oinot. hic n. 48.

gradus proximitate . Ideoque primi admittuntur Fratres, ſi Sorores ex utroque latere conjuncti, vel iis deficientibus eorum Filii, qui ſuccedentes in locum Patris præmortui hæreditatem ſibi dividant in ſtirpes . Et quia Fratres utrinque conjuncti præferuntur conjunctis ex uno tantum latere, Filii etiam Fratrum ex utroque latere conjunctorum Patres ſuos repræſentantes, quamvis ipſi remotiori gradu ſint, ex uno tantum latere conjunctos, nempe Conſanguineos, aut uterinos etiam excludent, quæ repræſentatio uti diximus non extenditur ultra fratrum filios in collateralibus ; ideoque frater conſanguineus, aut uterinus non excludetur à nepotibus fratris utrinque conjunctis, vel filiis eorum, vocantur ad ſucceſſionem conjuncti ex uno tantum latere, ſive conſanguinei ſint, ſive uterini, ſive utrique ſimul : qui hæreditatem inter ſe ita divident, ut uterini capiant bona venientia ex parte Matris ; Conſanguinei vero bona ex parte Patris, quæ eſt opinio receptior . At bona cetera inter ſe partientur æqualiter . At ſi non ſupererint fratrum filii, tum hi hæreditatem ſibi divident in capita, ut tot ſint æquales portiones, quot ſunt perſonæ, quia neceſſe

non

non habent repræſentare Patrem ſuum, ut exæquentur fratribus Patris, ideoque ſuccedent uti ſuccedebant jure antiquo, (*a*) quemadmodum docuit Azo, (*b*) cujus receptior eſt ſententia, *Caroli Quinti* Conſtitutione in Spirenſibus comitiis comprobata; nam jus novum novellarum, quo fratrum filii vocantur in ſtirpes, pertinet ad caſum, quo concurrunt cum fratribus defuncti, qui eos gradu præcedunt, ideoque neceſſe habent repræſentare Patrem ſuum, ut iis exæquentur. [*c*]

Hinc a pleriſque Accurſii ſententia, qui aliter docuit reprobatur. Nam quamvis Nepotes Avo ſuccedentes ſuccedant in ſtirpes, tamen id contingit, quia in linea recta deſcendentium neceſſaria ſemper eſt repræſentatio introducta etiam jure veteri; quæ neceſſaria non eſt in Collateralibus, ubi introducta fuit jure novo, niſi tantum quando Nepotes concurrunt cum Patruis,

---

(*a*) §. hoc eſt Inſtit. de legit. agnat. ſucceſſ. lib. 1. ff. de ſuis & legit. Donell. comm. de Jure Civ. lib. 9. c. 4.
(*b*) In ſumma C. de legit. hæred.
(*c*) Novell. 118. §. reliquum eſt.

truis, & Avunculis. (*a*) Porrò ex Statuto Urbis nullis aſcendentibus, & deſcendentibus ſuperſtitibus ſuccedunt Fratres excluſis Sororibus: nam ſtatuta tum pleraque municipiorum, & mores, veterem agnationis, & in virilis ſexus prælationem Juſtiniano Principi mulieroſo, & uxorio improbatam tamen adhuc ex veteri jure retinuerunt.

Utque ad Jus commune redeamus, notandum eſt quod dictum fuit de fratribus utrinque conjunctis, & eorum in Patris locum ſuccedentibus, etiam valere quando nullis exiſtentibus fratribus utrinque conjunctis, & eorum filiis, vocantur conjuncti ex uno latere tantum; nam filii uterinorum, & conſanguineorum una cum fratribus uterinis, & Conſanguineis per repræſentationem mortui Patris admittuntur. (*b*) At ultra fratres, & eorum filios duplex conjunctio non præfertur conjunctioni ſimplici, ſed promiſcue ceteri agnati, & Cognati admittuntur ſola gradus proximitate ſpectata:

---

[ *a* ] Vide Fachin. controv. lib. 6. cap. 3.

[ *b* ] d. novell. 118. cap. 3. auth. poſt Fratribus C. de legit. hæred.

ta : etsi plures sint ejusdem gradus, cui successio defertur hæreditas in capita dividetur, (*a*) fratres verò illegitimi, qui tamen ex damnato coitu non prodierint si Matrem eamdem habeant, quamvis diversum Patrem, sibi invicem succedunt, & conjunctis a latere per Matrem, itemque hi vicissim illis jure naturalis cognationis. (*b*)

Nunc de fratribus adoptivis videamus. Hi sane cum fratribus naturalibus, & legitimis nullam mutuam successionem habent, nisi fuerint adoptati ab Ascendente, in cujus potestatem, & familiam transierunt. (*c*) Inter fratres verò legitimatos est successio mutua; sed non inter legitimatos. (*d*) Ac successio Collateralium Agnatorum, & Cognatorum ad gradum tantum decimum ex receptiori sententia porrigitur : nam post decimum vocantur primo Conjuges, de-

in-

---

[*a*] d. novell. 118. cap. 3. in fin.
[*b*] Instit. de succeff. cognat. §. penult. l. 2. ff. unde cogn.
(*c*) L. sancimus C. de adopt.
(*d*) §. Filium vero auth. quib. mod. natur. effic. sui.

inde Fiſcus. Conjuges enim invicem ſibi ſuccedunt propter onera Matrimonii, quæ ſuſtinent, & propter Divini, atque humani juris communionem, quæ inter eos verſatur. Unde hoc præterea tributum eſt iis, ut ſi Matrimonium dote careat ſuperſtes Conjux ex bonis Conjugis divitis decedentis quartam capere poſſit, etiam extantibus Liberis, vel virilem portionem ſi plures extent Liberi, quam tres. (*a*) Si verò nulli ſucceſſores decimi, aut proximioris gradus ſuperſint, neque ſuperſit Conjux, tunc bona vacantia dicuntur, & ob id a Fiſco demum occupantur: niſi excludatur ab eo, qui per quadriennium ea bona fide poſſederit. Poſſeſſor enim quadriennii a bonis vacantibus Fiſcum excludit. (*b*) Fiſcus verò bona vacantia occupans obbligatur Creditoribus omnibus hæreditariis pro viribus hæreditatis. Et ſi quis diverſis in locis Patrimonium habeat dipertitum, cujuſque loci Princeps in ſuam bonorum partem vocatur. Antequam autem a ſucceſſionibus diſcen-



(*a*) Auth. præterea C. unde Vir, & Uxor.
(*b*) L. 3. ff. ſucceſſ. adict. l. 4. C. de bonis vacantibus.

damus, aliquid afferemus de Collationibus in successione Liberorum locum habentibus.

Quoniam igitur hodie Parentibus filii emancipati cum aliis fratribus, qui erant in morientis potestate succedunt æqualiter; coguntur emancipati omnia, quæ a Patre vivente acceperunt, sive bona profectitia in commune conferre, (*a*) ne iis retentis plus ex successione Parentis subeant, quam Filiifam. qui Patri adquisiverunt. Unde bona, quæ parens reliquit simul cum iis, quæ habuerunt emancipati permiscentur, ut æqualiter inter suos, & emancipatos Liberos dividantur. (*b*) Habet enim locum collatio tantum in descendentibus sive ab intestato succedant, sive ex testamento (*c*) nisi eam Testator prohibuerit, hac enim ratione tantum non vero pacto aliquo, collationem licet excludere. (*d*)

Liberalium verò Artium, & scientiarum

---

[*a*] L. 1. ff. de Collation. L. ult. C. eod.
[*b*] Novell. 8. cap. 6. auth. ex testamento C. Collation.
[*c*] Novell. 8. cap. 6. auth. ex testamento C. Collation.
[*d*] L. 15. C. de pact.

rum honore non cogitur emancipatus conferre, ſive imputare in partem ſucceſſionis ſibi debitam impenſas ſtudiorum. (*a*) Ceterum Dotem a Patre profectam filiæ; ſive ſuæ, ſive emancipatæ conferunt, tam ſi ſuccedant ab inteſtato, quam ſi ex teſtamento: niſi collatio eis a Patre remittatur: (*b*) eamque dote conferunt ſive cum ſuis, ſive cum emancipatis ad ſucceſſionem concurrant. (*c*)

*Finis Libri Secundi.*



(*a*) L. quæ Pater 50. ff. fam. herif. Jus in auth. quod locum n. 3. & 4. C. Collation.
(*b*) De collat. dot. & nov. 18. cap. 6.
(*c*) L. 4. l. 8. l. 1. C. Collat. dot.

# INSTITUTIONUM JURIS RECEPTIORIS

## LIBER TERTIUS.

## *De Obligationibus, & iis, quæ re contrahuntur.*

### TITULUS PRIMUS.

OBligatio eſt Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur ſecundum Romani Orbis Jura. Illæ namque obligationes, quas diſſolvere nulla Juris Civilis neceſſitate cogimur, ſed æquitate Juris Pontificii, qualia ſunt pacta nuda, quæ non habent cauſam, nec tranſierunt in certum nomen contractus, & ſimplices pollicitationes: appellantur obligationes naturales, non civiles, quibus præſens definitio congruit: quæ jure Canonico ad omnes porrigitur.

Naſcuntur autem obligationes vel ex re; vel ex verbis, vel ex literis, vel ex nudo conſenſu, ſcilicet ſine re, aut ver-

verbis, & literis; quibus tamen omnibus etiam consensus intervenit, sine quo nullus contractus consistit, sed ideo distinguuntur, quia in tribus prioribus præter consensum intervenit etiam res, vel vox, vel scriptio.

Re igitur contrahitur obligatio quando ad consensum res accedit: eaque vel ex contractu sive ex conventione nominata nascitur, vel contractu innominato. Contractus nominati sunt, qui certum nomen invenerunt in Jure Civili; innominati qui nullum ab eo nomen acceperunt. Tales sunt Conventione illæ *do, ut des; facio, ut facias; facio, ut des; do, ut facias.*

Nominati autem contractus qui re ineuntur, sive reales, sunt, Mutuum, Indebitum, commodatum, depositum, pignus.

Mutuum dicitur, quod ex meo tuum, sive accipientis fiat; in quem rei dominium adeo transit, ut non cogatur eamdem rem, sed tantundem ejusdem generis reddere. Ideoque non in specie, vel statua, pictura, Libro, sed in quantitate mutuum consistit, ejus rei, quæ usu consumitur, nempe Vini, Tritici, Olei, Pecuniæ, similiumque rerum, quæ functionem recipere dicuntur in genere suo, quod aliorum vice

fungatur. Consumpta enim certa Vini quantitate, eamdem etiam Vini restituere debemus; & quamvis sit aliud Vinum, tamen idem reddere videmur, quia genus rerum, & idea numquam perit.

Actio autem, qua repetimus genus illud, & quantitatem ab eo, qui accepit, appellatur certi condictio, quia quantitas illa certa est, & definita.

Simile mutuo est indebitum, quando scilicet putantes nos debere aliquid, illud solvimus, cum non debeamus: cujus dominium transit in accipientem, velut ex mutuo, si in pondere, numero, & mensura consistat: ad quam repetendam etiam certi condictio datur; Si is qui accepit, etiam sibi debitam putabat: nam si sciebat indebitam, instar Furis tenebitur condictione furtiva. Si vero res, quæ tamquam debita, indebite persolvitur ei, qui etiam sibi deberi putabat, in specie consistat; tum competet actio, quæ specialiter indebiti condictio appellatur.

Sicut autem ex mutuo usuræ nullæ; ita neque ex indebito repetuntur.

Alius contractus realis appellatur commodatum: quod est gratuita traditio rei ad usum, tempus modumque

cer-

certum, ut deinde ſpecies eadem reſtituatur: nam ſi res commodata quocumque tempore repeti queat, præcarium appellatur.

Et quoniam mutuum transfert rei dominium, & accipientem obligat ad reddendum idem genus; propterea mutuatarius tenetur reddere, quamvis apud ſe res mutuata ſine culpa ſua perierit; cum tantum commodatarius non præſtet caſum fortuitum, quia rei debitor eſt, ſive ſpeciei, non generis, ideoque non tenetur, niſi ex culpa, etiam leviſſima: etenim adhibere debet ſummam diligentiam, quia ſua ſolius; non vero commodantis cauſa contractus initur. Nam quando contractus initur cauſa utriuſque contrahentis, tum præſtatur, niſi culpa levis, quia mediocrem diligentiam adhibuiſſe ſufficit. Lata vero culpa præſtatur ſemper & in omnibus contractibus; etenim dolo comparatur; eaque culpa committitur, quando quis omiſit diligentiam læviſſimam, ut ſi Domus fores nullo relicto claudere omiſiſſet.

Tertius contractus realis eſt depoſitum; quod eſt traditio rei ſuæ gratis ab accipiente cuſtodiendæ, dominoque reddendæ. Quoniam autem ſolius deponentis commodum in depoſito verſa-

tur, propterea solus dolus, aut lata culpa depositarii arguitur; neque ex leviſſima, vel levi tenetur, si res perierit. Cum autem alicui res immobilis custodienda committitur, sequestratio appellatur.

Quartus contractus realis est pignus, quod est traditio rei mobilis a debitore in Creditoris manus, ad securitatem rei debitæ, ut, ea persoluta, restituatur. Ac si res immobilis Creditori obligetur hypotheca dicitur. Datur autem debitori ad repetendum pignus, re persoluta, actio pignoratitia directa; ut distinguatur ab actione pignoratitia contraria, quæ creditori datur ad repetendos sumptus in re pignorata factos. Et quoniam in hoc contractu tam debitoris propter nummorum inveniendorum facilitatem, quam Creditoris propter securitatem utilitas vertitur: propterea levis tantum, & lata culpa utrinque præstatur.

# *De verborum obligationibus, ſive de ſtipulationibus.*

## TITULUS II.

COntrahitur ſtipulatio verbis ab interrogante, & reſpondente prolatis quibuſcumque, dum ſenſus petentis, & promittentis appareat (*a*) puta *dabis mihi centum aureos? dabo*. Ac ſi promittatur res certa, puta talis equus, naſcitur actio, quæ certi condictio appellatur, per quam rem promiſſam petimus; nam ſi petamus rem incertam, ſed finibus circumſcriptam, puta equum in genere, tunc actio naſcitur, quæ extipulatu dicitur.

Stipulationum autem quædam puræ ſunt, quædam ſub conditione, quædam in diem. Puræ ſunt, quarum una ceſſit, & venit dies, h. e. quarum cauſa, quod promiſſum eſt, debetur, & ſtatim peti poteſt. In diem ſtipulatio concipitur, quando ad contractam obli-



[*a*] L. 10. C. de contrahen. & commit. ſtip.

obligationem adjicitur solutionis dies, veluti *decem aureos ad triduum dare spondes*? hujus autem stipulationis quamvis cedat statim dies solutionis, tamen dies venire non dicitur, nisi post triduum a promissione: quia adjectus censetur causa debitoris. Conditionales stipulationes sunt, quæ obligationem differunt in aliquem eventum, ante quem non obligamur, & postquam ab initio stipulationis obligari censemur.

Triplex est autem conditio casualis, ut *si Consul fueris*, potestativa, ut *si per hanc viam ambulaveris*; & mixta, quæ de potestate constat, & fortuna; veluti si *societatem cum Titio contraxeris*. Ac si moriatur stipulator pendente conditione, & casus evenerit post mortem illius, promissor stipulatoris hæredi tenebitur.

Porro non solum rem, sed etiam factum stipulari possumus, nempe *promittis mihi fulcire Domum*; vel *promittis mihi nunc te per hanc viam transiturum*? quod si promiserit quis, & non præstiterit, damnabitur in id, quod stipulatoris interest id esse, aut non esse factum. Atque ut liquido constare queat id, quod stipulatoris interest; adjicienda est in stipulatione pœna certæ quantitatis a promissore præstandæ, si do-

mum

mum non fulcierit, aut per illam viam transierit; veluti si Domum non fulcias, aut per illam viam transeas mihi dabis centum.

Rei nomen generale est, & comprehendit tam promissiorem, quam stipulatorem, sive Creditorem, ideoque duo dicuntur, & esse possunt, ex eadem stipulatione, rei stipulandi, & promittendi; sive duo Creditores, & duo debitores ex eodem contractu, puta si Titius, & Mævius separatum interrogaverint Cajum an sibi stipulanti dare spondeat; & post utriusque interrogationem Cajus responderit, *spondeo*, vel *utrique vestrum dare spondeo*; tum enim eorum utrique in solidum Cajus est obligatus ex eodem contractu. Nam si singulis separatim interrogantibus, Cajus separatim responderit; tum diversæ sunt stipulationes, puta si Titius rogaverit, *centum dare spondes?* Et Cajus se spondere dixerit; postea Mævio roganti *an centum dare sponderet; spondere* quoque illi adjecerit; tum enim non sunt duo rei stipulandi, sed sibi quisque seorsim propriam, & peculiarem obligationem adquirit.

Duo vero plureſve rei promittendi fiunt, si unus duos, aut plures interrogaverit, & singuli separatim respon-

derint ſe ſpondere; veluti ſi Titius Cajum roget *centum dare ſpondes?* Deinde Mævium *eadem centum dare ſpondes?* & Cajus, & Mævius ſeparatim reſponderint *ſpondeo*; vel ſimul *ſpondemus*.

Qua ex obligatione oritur ut una, & ſolida res omnibus, & ſingulis ita debeatur, ut ſi unus ex reis promittendi ſolverit, ceteri liberentur. Etenim duo rei ſtipulandi ſunt, qui unam, eamdemque rem ita ſibi ſtipulantur, ut illa eadem ſolida ſingulis, una vero omnibus debeatur. Et duo rei promittendi ſunt, qui rem unam eamdemque ita promiſerint, ut ſinguli ſolidam, unam tamen debeant omnes. Verum hodie (*a*) unus ex reis debendi conventus in ſolidum, poſtulare poteſt, ut pro parte tantum virili conveniatur; dum reliqui adſint, & ſint ſolvendo. [*b*]

Poteſt autem ad unius præſtationem alter pure, alter ſub conditione, vel in diem obligari, nec tamen minus erunt duo rei ſtipulandi. [*c*]

Di-

---

(*a*) Auth. hoc ita C. h. t.
(*b*) Aut. hoc ita C. de duob. reis ſtipul. & prem.
(*c*) L. 7. ff. eod.

Dividuntur ſtipulationes in judiciales, quæ interponuntur juſſu Judicis poſt litem conteſtatam, ut ſententia effectum aſſequatur, in prætorias, quæ interponuntur juſſu Magiſtratus, ſive illius, qui dat judicem, quique fungi dicitur officio Judicis nobili cum alium judicare jubeat; in conventionales, quæ voluntate contrahentium ineuntur; & in communes, quos tam Magiſtratus extra Judicium, quam Judex in judicio ad ſententiæ ſuæ ſecuritatem poteſt partibus imperare; ut cautio a Tutore exigenda rem pupilli ſalvam fore; & ea, quæ exigitur a Procuratore, ut Dominus factum illius ratum habeat.

Stipulari poſſumus res omnes, quæ exiſtendi facultatem habent a natura, quæque ſunt, & eſſe poſſunt in humano, & civili commercio, ſive quæ donari, vendi, relinqui teſtamento queunt.

At nemo ſtipulando poteſt alteri quærere obligationem, niſi ſit in illius poteſtate, qualis eſt filius familias Patri; non verò quærere poteſt obligationem extraneo. Sed poteſt pœnam adjicere, ut niſi extraneo teneri velit, ſibi ſtipulanti centum pendat. Ideo ſi quis ſibi, aut Mævio decem dari ſtipuletur obligationem omnem ſibimet adquirit; Mævio verò nihil, niſi

nisi legitimam facultatem recipiendæ pecuniæ pro stipulatore, ideoque Mævius dicitur adjectus solutioni : proptereaque promissor, quamvis stipulatori non solvat, tamen cum solverit Mævio, liberabitur. Verum nostris temporibus receptum est, ut obligationem per Notarium, quasi per servum publicum, pro nobis stipulantem adquirimus.

Si quis sub conditione impossibili stipuletur, veluti *si digito Cælum tetigeris*, stipulatio erit inutilis, quia contrahentes lusisse censentur; at hæreditas, & Legatum sub impossibili conditione relictum valebit, quia illa impossibilis conditio irrepsisse per errorem censetur; nemo enim in ultima voluntate ludere voluisse putatur ideoque manente dispositione, conditio rejicietur.

Stipulatio hæc *pridie quam moriar dare spondes?* hodie post Justiniani Constitutionem valet; atque etiamsi concepta sit post mortem promissoris : quia quod defuncto, vel a defuncto præstandum fuisset, id nunc hæredi, vel ab hærede præstatur. (*a*)

Si-

(*a*) L. unic. C. de action. quæ ab hæred. l. 11. C. de contrah. stip.

Sicut & hodie valet hæc ſtipulatio, *ſi cras Navis ab Aſia veniet, hodie dare ſpondes?* quia rei obligatæ exactio confertur ad eventum conditionis. (*a*)

Quando in Inſtrumentum ſcriptum invenitur aliquem promiſiſſe, tum niſi contrarium ab altera parte doceatur, credendum erit interveniſſe ſtipulationem; adeout interrogatio præceſſerit, ſucceſſerit reſponſio: quia veritas, & ſolemnitas actus ex inſtrumento præſumitur.

Cum ſua ſtipulantis intereſt alicui dari, tum quis utiliter pro altero ſtipulantur; ideo, ſi duo ſint Tutores Titius, & Mævius, ac Mævius Titio integram adminiſtrationem cedat, poteſt Mævius in utilitatem pupilli, a Titio ſtipulari rem pupilli ſalvam fore, ne etiam ipſe Mævius, dilabentibus pupilli facultatibus, pupillo teneatur.

Mutus, ſurdus, quia percipere, ac reddere ſenſum animi nequeunt, ſicut, & pupillus, ſtipulari nequeunt, niſi pupillus ſex menſibus exceſſerit infantiam, nempe ſeptennium: tum enim

in

---

(*a*) L. 25. §. item autem C. de teſtam.

in ſuum commodum utiliter ſtipulatur: quamvis ſine Tutore auctore alteri ſe obligare nequeat.

Qui factum alterius promiſit, nempè qui ſpopondit Titium ſibi Domum ædificaturum, præſtare factum alterius non tenetur; ſed tenebitur perſolvere pœnam, cui ſe ſubjecerit, ſi Titius non ædificaret.

Inutiles quoque ſunt ſtipulationes initæ inter eos, qui ſunt, & habent in poteſtate, veluti inter patrem, & filium, qui ſane inter ſe naturaliter obligantur, non tamen civiliter; adeout actio nulla inter eos naſcatur.

At ipſe Filiusfamilias alteri contrahendo, utiliter obligatur, & civiliter: cum ſit Civis: excepta cauſa mutui: ex qua, per S. C. Macedonianum, omnis obligatio à filiofam., contracta irritatur.

Stipulatio conditionalis mortuo ſtipulatore, vel promiſſore, ante conditionis eventum, ad hæredem ſtipulatoris, & adverſus hæredem promiſſoris tranſit, quia eveniente conditione, obligatio retro ad contractus diem trahitur: perinde ac ſi contractus ab initio purus fuiſſet.

Cum quis hoc anno, aut menſe promittit, conveniri non poteſt, niſi ad finem

finem poſtremi diei, anni, & menſis illius perventum fuerit : cum ante anni, aut menſis extremum diem, non putetur eſſe in mora : debitor, cujus cauſa tempus adjectum cenſetur. At ſi quis purè promittit, conveniri ſtatim poteſt, impetrato tamen aliquo ſpatio temporis ad commoditatem traditionis.

## *De Fidejuſſoribus.*

## TITULUS III.

FIdejuſſor eſt, qui pro alio ſe obligat, ut fide ſua Creditor ſit ſecurior. Et fidejuſſio eſt contractum verbis ad firmamentum obligationis alienæ initus : qui tum ad civilem, tum ad naturalem obligationem firmandam poteſt accedere; puta obligationem eam, quæ inter Patrem, & Filium intercedit : quæ naturalis eſt, non civilis, quia Patris à filii perſona civiliter minimè diſtinguitur, cum filius manet in poteſtate.

Quoniam, ſi plures fidejuſſores pro debitore ſpondent, poteſt a Creditore quilibet in ſolidum conveniri ; propterea D. Adrianus conceſſit iis beneficium diviſionis, ex quo Creditor cogi-

tur

tur non solidum a singulis, sed virilem cujusque portionem exigere, dummodo solvendo sint litis contestatæ tempore. (*a*) Quo beneficio fidejussor, postquam solverit, uti non potest, ne amplius ei conceditur, vel a Creditore quod supra portionem suam solvit repetere, vel ab aliis fidejussoribus.

Tum autem potest Creditor fidejussores convenire, quando excussis bonis principalis debitoris, quod sibi debeatur exigere nequiverit. [*b*]

Porro nulli licet a fidejussoribus stipulari plusquam reus debet, aut majus commodum, cum fidejussor in duriorem causam, quam sustinet debitor, accipi non debeat.

Ex fidejussione non solum fidejussor, sed ejus etiam hæres tenetur, & quod fidejussor solverit, a principali debitore, pro quo solvit mandati actione repetet, vel actione negociorum gestorum, si pro absente se obligasset.

Ut autem solemniter fidejussum censeatur, satis est si in Instrumento relatum fuerit, fidejussionem accessisse.

De

---

(*a*) L. inter 51. §. 1. ff. fidejuss.
(*b*) Auth. præterea C. de fidejuss.

# *De Literarum obligationibus.*

## TITULUS IV.

SI quis confiteatur alicui pecuniam, aut res alias, quæ pecuniæ omnes nomine veniunt ex mutuo debere, neque intra biennium confeſſionem ſuam, quam edidit ſub ſpe proximæ numerationis retractaverit, quamvis pecuniam non acceperit a Creditore, tamen ex confeſſione illa ſcripta, perinde obligatur, ac ſi ei numerata fuiſſet: ideoque recte literarum obligatio appellatur; quia ex ſcripta confeſſione, non autem ex vera numeratione procedit; cum in aliis contractibus ſcriptura tantum ad rei geſtæ memoriam adhibeatur; obligatio vero etiam ſine ſcriptura naſcatur.

Verum intra biennium reus, qui pecuniam accepiſſe confeſſus fuerit, tripliciter cavere ſibi poterit, ſi pecuniam, quam accepiſſe confeſſus fuerit, revera non acceperit; Primo habebit condictionem ſine cauſa, ſive actionem ad repetendum e manibus debitoris Chirographum ſuæ confeſſionis

nis

nis ob causam datæ pecuniæ non secutam, hoc est quia pecunia promissa numerata revera non fuerit. Secundo querelam, sive denunciationem scriptis tradendam, qua quis publice protestatur, pecuniam a Creditore non accepisse, quamvis eam acceptam tulerit. Tertio Creditore pecuniam intra biennium, post confessionem debiti, repetente; debitori succurritur per exceptionem, quæ appellatur non numeratæ pecuniæ, qua debitor creditorem excludit dicens, pecuniam ab eo sibi non fuisse numeratam, eaque exceptione confert in creditorem onus probandæ numerationis, contra naturam aliarum exceptionum, quarum veritatem probare debet ipsemet excipiens. Quod si Creditor exceptionem redarguerit, ac probaverit se revera numerasse, reus, qui falso excepit, damnatur in duplum. (*a*)

De

(*a*) Auth. contraq. C. de non numer pec.

# *De obligationibus ex conſenſu, & primo de emptione.*

## TITULUS V.

OBligationes ex conſenſu dicuntur, quia dum conſenſiſſe contrahentes probetur, nihil intereſt qua ratione, ſive per epiſtolam, ſive per Procuratorem, ſive verbis, ſive ſcriptis contraxerint. Quorum contractuum primum locum tenet emptio, & venditio, quæ eſt commutatio rei cum pretio. Eaque perfecta dicitur, quando de re tradenda, & pretio ſolvendo conventum fuerit etiam non datis arrhis; conſummata vero, cum res tradita fuerit, & pretium numeratum.

Si tamen ex conventione contrahentium venditio ſcriptis committenda fuerit ad ſubſtantiam illius, tum ſi de privata ſcriptura tractetur, ad perfectionem venditionis ſatis erit, ſi manu contrahentium ſcripta detur; niſi literis imbuta ſcheda aliqua deletitia proferatur; tum enim in mundum ea ſcheda redigenda erit, quo contractus perficiatur; etſi folium fuerit aliena

manu

manu conscriptum, & in mundum redactum, sufficiet subscriptio contrahentium. At si publica scriptura, & Tabellionis manu contrahatur, perfecta venditio censebitur post Instrumentum a Notario recitatum, & a contrahentibus comprobatum. (a)

Dum autem scriptis contrahitur locus est pœnitentiæ donec aliquid deest; & licebit tam emptori, quam venditori a contractu discedere; sed si arrhæ datæ fuerint, tum emptor recusans adimplere, h. e. perficere contractum, arrhas amittit; si vero recuset venditor, duplum emptori præstabit ejus, quod arrharum nomine accepisset; [b] sive a scripto, sive sine scripto contractus initium accepisset.

Aliud vero sancitur ex Statuto Urbis, (c) ex quo recusans adimplere contractum, potest ab alio contrahente compelli ad perfectionem illius.

Pretium vero esse non dicitur nisi fuerit definitum vel ab ipsis contrahentibus, vel ab eo cujus arbitrio pretium definiendum tradiderint; quo non

---

(a) L. Contractu C. de fide instrument.
(b) L. contractus C. de fide instrum.
(c) L. 1. cap. 112.

non definiente venditio dissolvetur.

Si vero alteruter contrahentium in venditione lædatur supra dimidium justi pretii, venditio rescindetur ex remedio *l.* 2. *C. rescind. vend.*

Post venditionem contractam omne periculum rei venditæ pertinet ad emptorem, ad quem pertinet & commodum, & incrementum ejus, quamvis res adhuc tradita non fuerit, nisi culpa, dolove venditoris res perierit, corruptave fuerit.

Potest venditio etiam sub conditione celebrari, & etiam sub eo additamento, ut liceat venditori post certum tempus reddito pretio, rem ad se revocare, quæ venditio sub pacto retro vendendi vulgo appellatur, vel redimendi. (*a*)

Potest etiam resolutio venditionis ex conditione pendere; quamvis venditio pura in principio fuerit, quod evenit in addictione in diem, cum res certo pretio vendita, ita venditur, ut si intra certum tempus alter meliorem conditionem attulerit, res ab emtore abscedat; (*b*) & in lege commissoria,

---

[*a*] L. 2. ubi DD. C. de pact. inter empt. & vend.

[*b*] L. 1. & tot. tit. ff. addict. in diem.

ria, cum ita in venditione conveni-tur, ut si ad certam diem pretium venditori persolutum non fuerit, pro non empta res habeatur. (*a*)

Res porro, quæ in commercio non sunt, sub venditione non cadunt.

Et si quid hujusmodi deceptus quis emerit, consequetur a venditore quanti sua interest non fuisse in ea re de-ceptum.

Si vero res empta vitiosa inveniatur, venditor per actionem reddibitoriam reddito pretio rem suam recipiet; vel emptor actione quanti minoris repetet ex pretio partem eam, quæ rei æstima-tionem exsuperat. (*b*)

## *De Locatione, & Conductione.*

### TITULUS VI.

LOcatio est translatio usus rei ad certum tempus in Conductorem acceptæ ab eo certa mercede; ex quo con-

---

(*a*) L. 2. & tot. tit. ff. de leg. commis.
(*b*) L. 1. l. 9. l. 3. ff. edict.

contractu Locator habet actionem locati ad mercedem petendam; Conductor actionem conducti ad petendam rem, vel exigendas operas. Utilitatis autem causa receptum est, ut Conductor si ita convenerit, loco pecuniæ portionem fructuum pro mercede solvat: (*a*) Et mercedis definitio etiam in alterius arbitrium conferri potest, quo non definiente contractus resolvitur, ut dictum est in venditione.

At si fundum in perpetuum alicui colendus, & fruendus, vel ad longum tempus sub certa mercede, aut pensione tradatur; tum nec venditio, nec locatio, sed novum contractus genus, quamvis utrique affine prodit, quæ vocatur emphytheusis, & præcipuas habet, ac distinctas ab utraque leges. Dicitur enim emphytheusis tamquam implantatio, quia plerumque desertos Agros, & squallidos ad longum tempus, vel in perpetuum sub ea conditione trahamus, ut excolantur. Ideo qui accipit veluti Dominus habetur, & quidem utilis; cum Domino concedenti superstit directum dominium. Ideo qui fundum in emphyteusim accepit fa-



(*a*) L. 2. C. locati.

cultatem ejus habet obligandi, & hypothecæ ſubjiciendi, & donec ſuum jus duret permutandi; immo etiam & vendendi, ſi antea Domino directo denunciaverit, eique optionem obtulerit an malit emere pro eodem pretio, quam alii emendum permittere. Tum enim ſi Dominus per duos Menſes voluntatem ſuam declarare diſtulerit, nec vendendi veniam concedat, liberum erit vendere alii æque ad ſolutionem penſionis idoneo: reddita Domino directo parte quinquageſima pretii, honorarii loco, quod vulgo Laudemium appellatur a laudando, ſive adprobando. Quod Laudemium Domino directo debetur, etiamſi per donationem, aut permutationem emphytheuſis in alium transferatur. *(a)*

Si autem penſionem quis per triennium directo Domino ſolvere neglexerit, expelli poterit ab eo ex eo fundo auctoritate non propria, ſed ut plerique volunt, Judicis. Et ſi de emphytheuſi agatur Eccleſiaſtica, ſufficiet biennium ad expellendum eum a fundo, ſi penſione per id tempus non ſolverit; conceſſa tamen ei moræ purgatio-

---

[*a*) L. 3. in fin. C. de jur. emphyt.

gatione, & oblatione penſionis quam diſtulerat. (*a*)

Penſio ſolvenda eſt etiam ſi damnum Ager acceperit ab aliqua tempeſtate, & ſterilitate, ut pars illius perierit: niſi perierit integer: nam re deficiente, cum ea ruit etiam penſioni onus. Quamobrem totus Ager quidem Domino directo, pars vero Domini civili perit. (*b*)

Sed ut ad contractum locutionis redeamus, quoniam in eo Locatoris, & Conductoris commodum vertitur, propterea Conductor præſtare debet ea damna, quæ ex dolo, vel culpa levi ſua contigerint; non vero quæ acciderint ex culpa leviſſima, eoque minus fortuito eventu. Unde non tenetur Conductor, niſi omiſerit eam diligentiam, quam prudens quivis Paterfam. adhibuiſſet.

Conductore mortuo in ejus locum ſuccedit hæres, in quem conductio continuatur, ſi mortuus Conductor fuerit ante locationis terminum: unde & hæ-



(*a*) Auth. qui rem C. de Sacroſ. Eccleſ. cap. ult. extr. de loc. & Cond. Cap. potuit eod.

(*b*) L. 1. C. de jur. emphyt.

res locatoris in ipsius etiam jus ingreditur. (*a*) Successor vero singularis, qualis est emptor, & Legatarius minime stare cogitur Locationi auctoris sui, nempe Venditoris, aut Testatoris.

## *De Societate.*

## TITULUS VII.

Societas est communio vel omnium bonorum, vel partis, conventione instituta inter plures, ut lucra, & damna dividantur, vel prout *contrahentes* ab initio pacti fuerint, vel prout jure præscribitur: nempe ut lucra, ex parte, quam quisque contulit bonorum, sive mercis, dividantur. Unde si lucrum factum sit 12. aureorum, & ego contulerim centum, Titius quinquaginta, mihi tribuenda erunt octo, Titio quatuor; quia duplum fructuum, ex duplo collatæ sortis ferre debeo.

Si vero alter convenerint contrahentes, adeo servabitur eorum voluntas, ut

(*a*) L. 10. C. locat.

ut etiamsi unus totam sortem contulerit, alius nihil; & pepigerint ut qui nihil contulit partem lucri ferat, ejusmodi conventio adprobetur, quia potest ejus qui nihil contulit, industria esse adeo utilis mercimonio, ut sine illa nihil proficeretur.

Hinc etiam valebit ea conventio, ex qua quis partem aliquam lucri accipit; nullam verò damni, æstimatis omnibus mercibus, compensatoque damno in una merce accepto cum lucro facto in merce alia: cum non intelligatur lucrum, nisi ab omnibus partibus damno deducto; neque damnum, nisi detracto undique lucro.

Nequaquam verò valebit pactum, ex quo lucrum omne ad unum, damnum omne verò ad alium perveniat. Dicitur enim hæc Leonina Societas meritò legibus improbata.

Si partes expressæ sint vel in damno tantum, vel in lucro tantum; quod expressum est in uno, & in altero expressum censetur; unde qui pactus est duas lucri partes pro se; is si damnum contigerit, debet duas damni sustinere partes.

Finitur societas dissensa sociorum, etiam si contracta fuerit in perpetuum, ne voluntates cogantur: (*a*) nisi quis



(*a*) L. nulla 70. l. 14. ff. pro Soc.

sperans aliquod sibi proximum lucrum ab omnium bonorum societate discesserit, ne lucrum illud cum Sociis dividere compellatur; nam detecto fraudulento consilio communicationem illius lucri cum aliis effugere non poterit, perinde ac si à societate non discesserit. (*a*)

Finitur & morte sive naturali, sive civili, vel cessione bonorum unius socii, sive cum altero, sive cum pluribus superstitibus inita fuerit, neque socii mortui hæres illius locum occupabit: nisi aliter contrahentibus in ineunda societate placuerit. Et si certi alicujus negocii societas, inita fuerit, dissolvitur societas, si negocium illud ad finem pervenerit.

Actione verò, quæ *pro Socio* appellatur, quisque socius convenire potest alium ad præstandum, quod bona fides in hujusmodi contractibus tacitè poscit; vel ad divisionem lucrorum, & damnorum; vel ad vindicandam culpam, aut dolum a socio admissum.

Et quia societas omnium sociorum gratia initur, socius alter in alterum, præter dolum, & lata, levem etiam cul-

---

(*a*) L. actione §. 3. ff. pro Soc.

culpam ulciſcitur ; non vero culpam leviſſimam ; cum ipſe ſocium elegerit , & potuiſſet diligentiorem ſocium invenire , ſi majorem communi diligentia voluiſſet adhibere .

## *De Mandato .*

## TITULUS VIII.

MAndare dicimur , Mandatotores appellamur , cum gratuito alicui aliquid gerendum committimus , qui ab accepto mandato Mandatarius nuncupatur .

Aliquando etiamſi quis non mandaverit , ſed conſilium tantum deberit , obligatur ei , cui conſilium debit perinde ac ſi mandaſſet . Quod evenit , ſi pecuniam otioſam , ſivè fænori non occupatam Titius habeat , & ego ei mandem , ut illam Cajo fænaretur ; tum enim propter expreſſam , & deſignatam Caii perſonam , cui ſine mea ſuaſione , Titius pecuniam non credidiſſet , ego ex mandato meo , Titio ſi damnum tulerit , obligabor .

Item ſi turpem rem perſuaſerim , aut mandaverim , pœnæ obligabor ; ſed pro-

miſſam pecuniam ei, qui mandatu meo crimen admiſerit, perſolvere non tenebor.

Mandatum autem voluntatis eſt ſuſcipere; neceſſitatis adimplere: & quidem ad præſcriptam formam, & ſummam, quam excedere non licet; adeo ut ſi fundum emere juſſus centum, emat octoginta, poſſit à Mandante octoginta quæ ſolvit repetere: at ſi emerit centum viginti, repetere à Mandante Mandatarius non poſſit, niſi centum, non verò viginti, quæ ſupra præfinita centum impenderit.

Solvitur verò mandatum pœnitentia Mandantis, ſi illud revocat, dum res eſt integra; nam ſi Mandatarius rem inchoaverit, quamvis mandatum ſolvatur, tamen a mandante repetere poterit quidquid ob negocium inchoandum fecerit ſumptuum (*a*) quos item repetere poteſt ab herede Mandatoris, ſi ejus morte diſſoluto mandato, ipſe mortem neſciens, aliquid impenderit, ut mandatum impleret: quod obitu Mandantis extinguitur.

Solvitur mandatum renunciatione a Mandatario tempeſtivè facta, ſine damno

---

[*a*] L. 15. l. inter 26. ff. mand.

no Mandantis : nam ſi ob eam renunciationem tempore ſuo non factam Mandator amiſerit, facultatem rei ſive per ſe, ſive per alium gerendæ ; tum Mandatarius tenebitur in id, quod Mandantis intereſt tempore debito non fuiſſe renuntiatum : niſi Mandatarius morbo, vel alia juſta cauſa renunciare prohibitus fuerit.

## *De Obligatitnibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.*

## TITULUS IX.

SÆpè contingit, ut ſine aliqua conventione obligatio naſcatur ex ſolo facto : & tum dicimur ex quaſi contractu obligari.

Primum gerendis negociis abſentium, qui rebus ſuis vacare nequeunt, & expreſſum mandatum non dederunt : is enim, qui eis rem utilem geſſerit, habet actionem, quæ appellatur contraria negociorum geſtorum, per quam contra Dominum agit ad repetendos ſumptus in rebus ejus curandis factos dum ille

abeſſet ; Dominus verò rediens ſi damnum acceperit ex lata , vel levi culpa ejus, qui ſponte illius negocia geſſerit , aut dolo, habet actionem , quæ diſtinctionis cauſa , directa negociorum geſtorum dicitur , ob res male geſtas , contra geſtorem , ut damnum præſtet , quod Domino attulit .

Secundum genus quaſi contractuum eſt tutela : ex qua Pupillus actionem directam adquirit contra Tutore , ut eum ad reddendam adminiſtrationem cogat ; Tutor verò adquirit actionem contrariam , qua repoſcit à Pupillo quod in rem illius impenderit .

Tertium genus eſt communio rerum , in quam non voluntate , ſed *eventu* aliqui inciderunt , ut ſunt ii , quibus communiter quid legatum , donatumve fuerit : nam adquirunt invicem actionem communi dividendo , per quam inter ſe petunt , ut communis res in ſingulos dividatur , aut ut impenſæ ab altero factæ præſtentur , vel reddantur fructus ſupra debitam portionem perſcepti ; quæ actio differt ab actione pro ſocio , quæ naſcitur ex contractu ſocietatis communi voluntate inito .

Pro univerſa vero hereditate pluribus relicta naſcitur actio , quæ dicitur familiæ , ſive hereditatis erciſcundæ , h. e. di-

dividendæ : in qua eædem præſtationes veniunt.

Quartum genus eſt hæreditatis aditio, per quam ſine aliqua conventione, legatis, & defuncti Creditoribus heres obligatur.

Quintum genus eſt indebitum : nam qui ſolvit quod non debebat, obligat ſibi accipientem ; ideo tamquam ex mutuo involuntario traditam pecuniam ab eo repetet indebiti condictione, quod eſt hujus actionis nomen.

Cum autem quis pecuniam ſolverit, metuens ne in duplum teneretur, ſi aut negaret, aut differret ; is quia id fecit ad effugiendam dupli condemnationem, pecuniam repetere non poteſt. Quod contingit, ſi quis conveniatur lege Aquilia, ubi negans damnum condemnatur in duplum : ſicut & in duplum condemnatur, qui certam, & deſignatam pecuniam dare a Teſtatore juſſus in piam cauſam, eam ſe debere falsò negaverit. ( *a* ) Quibus, & ſimilibus in cauſis, non repetitur indebitè ſolutum ; quia ſimpliciter datum intelligitur, ne conventus in judicio, ſi negaſſet falſitatis convictus, in duplum condemnaretur.



( *a* ) L. 2. C. comm. de legat.

# Per quas personas nobis obligatio adquiritur.

## TITULUS X.

ADquiritur obligatio per eos, quos in potestate habemus, ut per Filiosfam. ex peculio profectitio, non vero ex castrensi, aut quasi: ex quibus sibi ipsi tantum Filiusfam. obligationem adquirit.

Obligationes verò, quæ ex peculio adventitio nascuntur, filio quidem proprietatem comparant; Patri verò tantum afferunt usumfructum, & tamquam administratori etiam exercitium actionis, adhibito Filii consensu, si ætatem ad consentiendum habeat idoneam. (a).

Qui-

(a) L. 6. C. de bon. quæ lib. & l. ult. §. 3. C. eod.

# *Quibus modis tollitur obligatio.*

## TITULUS XI.

PRimo tollitur ſolutione ejus quod debetur, etiam ſi, debitore invito, alius Creditori accipienti ſolverit : per quam non ſolum ipſe debitor, ſed etiam fidejuſſores, & pignora, omneſque acceſſiones aliæ liberantur : quamvis debitor fidejuſſori, qui pro ea ſolvit, teneatur.

Secundò tollitur per acceptilationem, ſive ſolutionem fictam, per quam quod nobis ex verborum obligatione debetur verbis perſolvimus, atque remittimus ; imò per acceptilationem tollitur etiam ea obligatio, quæ non ex verbis naſcitur, ſive ex ſtipulatione, ſed ex re vel conſenſu puta venditione, aut alio contractu, ſi eas obligationes ex emptione, vel mutuo, aliove contractu naſcentes extinguamus deducentes eas in ſtipulationem, ſivè in obligationem verborum quam poſtea per Aquilanam ab Aquilio inventam acceptilationem, diſſolvimus.

pro-

profitentes verbis acceptum habere, quod non jam amplius re, vel consensu, sed postquam fuerat in stipulationem deductum, tantum verbis debebatur.

Tertiò tollitur obligatio per novationem, sive translationem prioris obligationis in novam aliam sive civilem, sive naturalem: per quam novam obligationem, adeo prior extinguitur, ut etiam accessiones illius pereant, *puta* fidejussiones, aliaque onera exceptis pignoribus: quæ si in novatione repetita fuerint, Creditori eamdem temporis prærogativam tribuunt, quam habebat ante novationem. ( *a* )

Est autem novatio duplex voluntaria, quæ fit per stipulationem, qua prius debitum convertitur in verborum obligationem; & necessaria, quæ fit per litis contestationem, qua non extinguitur vetus obligatio, sed munitur nova judicati actione: qua prior obligatio tempore peritura etiam in heredes perpetuatur. ( *b* )

Fit

---

[ *a* ] L. 1. ff. qui pot. in pign.
( *b* ) L. mores 26. ff. action. & oblig. l. alium 29. ff. novat.

Fit novatio vel cum nova perſona interveniente, vel cum ipſo Creditore. Quæ nova perſona interveniente fit: aut delegatio eſt, aut expromiſſio. Delegatio dicitur, cum debitor debitorem ſuum Creditori, pro ſumma debita, delegat, vel alium pro ſe reum dat, qui ſtipulanti Creditori promittat. (*a*) Unde ſi Cajus meus debitor, me jubente promiſerit Titia Creditori meo, & Titius acceperit promiſſionem; novatur contractus; nec ego, ſed Titius exigere poteſt à Cajo meo debitore; nec Titius me, ſed Cajum convenire poteſt. [*b*] Oportet igitur, ut omnium noſtrum conſenſus interveniat, nempe mei delegantis, Caii promittentis, & Titii accipientis.

At ſimplex ceſſio actionis Creditori facta, ſine conſenſu debitoris, qui cedituir, non liberat cedentem à priori obligatione, nec cedens actionem priſtinam amittit, niſi Ceſſionarius litem cum debitore ſibi ceſſo conteſtetur, aut aliquid ex debito accipiat, vel debitori ceſſo denunciaverit ne ſolvat. (*c*)

Ex-

---

[*a*] L. 1. C. de novat.
[*b*] L. 6. C. novat. & delegat.
(*c*) L. 3. C. de novat. & delegat.

Expromissio est, cum quis alienam sponte obligationem suscipit, & pro alio soluturum se spondet. Atque ex delegatione actio prior extinguitur, priorque debitor liberatur, novaque actio contra delegatum Creditori adquiritur: quod præstat & expromissio, sive ignorante, sive nolente debitore, si quis obtulerit soluturum Creditori novam eam obligationem accipienti. (*a*) Et licet obligatio posterior sit nullius effectus, puta quod quis ea, quæ Titius sibi debebat, stipuletur à Pupillo, sine Tutoris auctoritate, tamen prior perimitur. [*b*]

At si novam conventionem non cum alio, sed eadem persona debitoris inimus, tum veterem obligationem extinguimus, & eam in novum verborum contractum transferimus, siquidem stipulando illi aliquid adjiciamus, vel detrahamus; ut si quod erat purum, convertatur in conditionale, vel contra; vel si diem addamus: dummodo novandi voluntatem significemus. Noluit enim Justinianus novationem ex conjecturis inducere.

Tan-

---

(*a*) L. 8. in fin. ff. de novat.
(*b*) L. Servus 19. ff. de fidejuss.

Tandem dissensu Contrahentium, re integra, contractus dissolvuntur, & obligationes perimuntur.

Sunt præterea modi alii extinguendarum obligationum, variis locis disseminati, per libros Juris, veluti confusio, cum res debita confusa fuerit, ut non discernatur: (*a*) item oblatio rei debitæ, atque consignatio. [*b*] compensatio, concursus plurium lucrativarum causarum; extinctio rei debitæ sine culpa, & mora debitoris, aliique legentibus passim occurrentes. Ex quibus tamen hic prætermittenda non est transactio, utpote usitatior: per quam de rebus dubiis & litigiosis disputantes, metu futuri judicii, inter se paciscuntur, ut invicem dare facere obligentur, aliquid de jure suo remittentes; propter quam mutuam obligationem, ex parte transigentium, nascitur civilis actio.

Sed non de omnibus controversiis liberè transigere licet. Sunt enim quæ-

---

(*a*) L. 75. l. penult. ff. solut. l. 7. ff. pact.

(*b*) L. 9 C. solut.

quædam, de quibus tranſigere prohibemur ſine certo modo, certiſque obſervationibus. Tales ſunt controverſiæ teſtamentariæ, ſive ex teſtamentorum interpretatione prodeuntes: de quibus tranſigere non licet, niſi perpenſis, cognitiſque verbis teſtamenti ſive ſcripti, ſive nuncupativi. (*a*)

Item vetitum eſt tranſigere de alimentis futuris ultima voluntate relictis, niſi auctoritas Magiſtratus interveniat: (*b*) ne homines præſens lucrum futuris, & majoribus commodis anteponentes, ad inopiam redigantur.

## *De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur.*

## TITULUS XII.

OBligantur homines pœnis ex furto, quod in rem mobilem caditur, cum definiatur contrectatio fraudo-

---

(*a*) L. 6. ff. tranſact.
(*b*) L. 8. ff. & C. de tranſact.

doloſa lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel uſus ejus; poſſeſſioniſve: quæ contrectatio ad rem tantum mobilem reſpicit, quæ trahi manibus poteſt.

Furti pœna ex Prætoris Ædicto eſt quadruplum rei ſurreptæ præter rem ipſam in furto manifeſto; ex furto verò non manifeſto duplum. Recenti verò Friderici Imperatoris conſtitutione furtum quinque ſolidorum laqueo punitur; minoris verò ſummæ laceratione Corporis: (*a*) cum etiam in novella Juſtiniani 134. *cap. ult. auth.* ſed novo Jure C. *de ſerv. fugit.* corporalis pœna ſtatuta in furto fuiſſet.

Et fur dicitur, ac fraudolenter contrectare intelligitur etiam qui rem commodatam in uſus transfert ſibi non permiſſos à commodante, vel qui depoſitare, aut pignoribus utitur præter mentem & voluntatem debitoris: dummodò ſciat eos ſibi uſus eſſe interdictos, alioquin furtum ſine furandi affectu minimè committetur.

Ca-

---

(*a*) Lib. 2. dè feud. tit. de pace tenend. & ejus violat. Clar. §. furtum num. 10. & ſept.

Cadere post furtum in rem etiam suam, veluti si debitor surripiat Creditori pignus, intervertit enim illi possessionem.

Nec solum qui ipsi furetur, sed & qui opem consiliumque furanti præbuerit furti crimine involvitur.

Furto affinis est rapina, cum quid alicui violenter eripitur, quod crimen præter pænam quadrupli, aut dupli à Prætore inductam, lege etiam Cornelia tenetur de vi publica, vel privata, de qua in titulo de publicis judiciis. (*a*)

Et si verò, qui rem violenter, aut clam aufert, putans esse suam, fur, aut raptor non dicatur; tamen ne per causam ignorantiæ quis evadat audacior, & molestior, Principes hujusmodi violentos homines rei propriæ dominio spoliarunt, & ad Fiscum transtulerunt si rem propriam rapuissent; si verò tamquam propriam rapuissent alienam, eosdem raptæ rei amissione, ejusque etiam æstimatione vim passo cessura multarunt; & Creditoribus auctoritate propria bona sibi debitoris addiscentibus jus crediti ade-

---

[*a*] L. 3. ff. de vi privata.

ademerunt : (*a*) idemque ſtatuerunt in eum qui rem ſoli, h. e. immobilem alienam putans eſſe ſuam violenter invaſerit. (*b*)

# *De Lege Aquilia.*

## TITULUS XIII.

Poſt furtum, & rapinam, tertium genus obligationum ex delicto venientium eſt ea, qua obſtringimur Domino Mancipii, vel quadrupedis, cui Mancipium, ſive ſervus jure Civili comparatur, ob damnum in eorum corpore eidem Domino illatum, non per contumeliam inferentis, ſed illatum *injuria*, quæ vox hic ſignificat *non jure*. Quod damnum vindicatur lege Aquilia, quæ nomen ducit ab Aquilio ejus ſanciendæ Legis apud Populum Romanum Auctore.

Primo autem ejus Capite rependitur damnum Domino in id quantiplurimi fue-

---

(*a*) L. extat 3. ff. quod met. cauſ. l. ult. ff. ad l. Jul. de vi priv.
[*b*] L. 7. C. unde vi.

fuerit res damno affecta, sive corrupta intra annum retrorsum a die dati damni computaudum. (*a*) Propterea si datum damnum civiliter vindicatur, damnandus est illator in sumtus medicorum, ac funeris, & in alimenta eorum, quos homo occisus alere solebat.

Agit autem lex hoc primo capite de occisis servis, & Quadrupedibus, quæ gregatim pascuntur, quo exclusis feris Bestiis, & Canibus complectatur Equos, Mulos, Asinos, Oves, Boves, Capras, itemque Sues, & similia, quæ in Gregem conveniunt.

Quod si quis ut damnum vitaret a se, damnum alteri fortè intulerit, hac Lege non tenetur, cum jure quis se a periculo tueatur.

Sed si casu quidem occidit, sed eventus è sua culpa contigerit, tenebitur, : quia dolus, & culpa Lege ista putatur.

Unde imperitus artis, cui se imprudenter dederit, Aquilia convenietur propter temeritatem, si exercitio suo alteri nocuerit, ut si imperitus Medicus secando, aut imperi-

tus

(*a*) L. 1. §. ad L. Aquil.

tus Mulio agendo jumento læserint.

Ita verò læsæ rei pretium computatur intra annum retrorsum actum, ut si Equus accepti damni tempore fuisset claudus, sed per 365. dies antecedentes aliquo tempore fuisset integer, validisque Cruribus, damnatur reus tamquam Equum occidisset integrum, non tamquam occidisset claudum.

Nec modo res ipsa quantiplurimi fuerit æstimatur, sed etiam quanti interest Domini eam rem intra annum illum non habuisse, vel habuisse, sed deteriorem factam. Unde si quis occidisset ex pari Mularum, vel ex quadriga Equorum aliquem, non solum singula corpora peremta luere debet, sed etiam damnum, quod patiatur quis ex quadriga dissoluta.

Alio Legis Aquiliæ Capite agitur de Bestiis, quæ Quadrupedum gregalium numero sunt, non occisis, sed vulneratis; & de iis, quæ quadrupedum gregalium, sive pecudum numero sunt, veluti Canes, Ursi, aliæque feræ occisis; itemque de damno in res inanimes quovis corpore, aut quavis ratione illato. Ex quo reus damnatur quantiplurimi res damno affecta valuerit intra triginta dies, qui præcedunt dati damni tempus.

# *De injuriis.*

## TITULUS XIV.

QUartum, & postremum delictorum genus, unde obligatio, & actio inter privatos nascitur, est injuria, sive contumelia, quæ definitur contemtus, infamia, vel dolor ex dicto, factove proveniens.

Eaque tripliciter infertur verbis, facto, re.

Cum quis verberat aliquem, aut cædit, re injuriam infert. *Infert facto*, cum honestam Puellam, tamquam Meretricem, vel honestum Puerum tamquam impudicum libidinose per vias sectatur.

Verbis infert injuriam qui voce aut scripto aliquod crimen extra judicium alicui objicit. Ex quo si capitale crimen fuerit, quo objicitur, *pæna est* capitis constituta contra convicii, aut famosi libelli auctorem

Et accipitur injuria non ex persona solum propria, sed ex filiofam., & filiæ quamvis in matrimonium locatæ, & Uxoris; non autem accipit injuriam

riam ex Viri persona Uxor; cum non Virum ab Uxore, sed Uxorem a Viro defendi conveniat. Item accipit injuriam Socer ex persona Nurus, & Sponsus ex Sponsæ personæ.

Pœnæ injuriam sunt vel ut reus damnetur in æstimationem ducendam a varia dignitate, graduque personarum, vel ut supplicio afficiatur; vel ut ad multam Fisco inferendam damnetur, sive ob aliquem pulsatum, aut cæsum, sive ob Domum læsam ex injurioso ingressu alicujus.

Porrò civiliter agitur ad æstimationem; criminaliter ad ultionem: quo in Judicio, quamvis criminali, tamen Viris illustribus per Procuratorem adesse permittitur.

Duplex est autem injuria, levis, & atrox. Ex qua cognita cognoscitur quæ sit levis. Atrocitas injuriæ oritur vel ex loco vulneris, ut si quis oculum alicui læserit partem corporis selectissimam; vel ex loco publico, in quo notior est contumelia; vel ex personæ dignitate; ut si quis violasset Senatorem, aut Magistratum, cujus delicti pœnam capitis constituunt interpretes. Non mutatur vero injuriæ gradus ex distinctione Patris a filiofamilias, cum in hoc publicæ dignitatis disparitas nulla inveniatur.

Atque injuriarum actione non solum is, qui eas intulerit tenetur, sed & qui mandaverit, dolove malo fuerit hortatus, alioque modo quovis operam, aut consilium suum præbuerit.

Tollitur injuriarum actio, quantum ad privatam, non autem ad publicam ultionem, & fiscalem pœnam spectat, morte rei, & actoris; cum enim sit pœnalis non transit in heredem. Item tollitur remissione expressa, vel tacita, nempe annali silentio, quo perimitur actio prætoria, quæ damnat ad æstimationem; non vero actio ex Lege Cornelia criminalis, quæ plectit Corpus, vel multat Fisci commodo; hæc enim perpetua est, nec perit nisi spatio triginta annorum.

Tandem tollitur dissimulatione, si quis acceptam injuriam ad animum suum non revocaverit. (*a*)

Quamvis autem quis remiserit actionem criminalem, qua propriam injuriam ulciscitur; tamen potest agere actione civili ad reficiendum sibi damnum, & ad consequendum quod sua interfit damnum non accepisse.

De

(*a*) L. 1. §. 1. ff. de injul.

# *De obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.*

## TITULUS XV.

QUamvis ex delicto dolus abſit, tamen in eo & culpa punitur. Unde Judex, qui litem ſuam fecerit, h. e. qui male per imperitiam judicaverit, cogitur pœnæ nomine propriis ſumtibus eam partem defendere, pro qua pronunciavit; itaque ſententiam tueri ſuam, ut ſi male judicaſſe appareat condemnetur tanti, quanti judicantis religioni videatur.

Item ſi ejectum, effuſumve quid ſit in aliquem e Domo alicujus, tenetur qui habitat, quod ſervis utatur incautis: & in duplum illati damni damnabitur. Sicuti punitur, & quidem 10. aureorum pœna, qui aliquid poſuerit, ſuſpenderit, aut id poſitum ſuſpenſumve eſſe toleraverit in loco, quo vulgo tranſire homines conſueverunt, adeout decidens poſſit alicui nocere. Ac ſi quid cadens interemerit hominem liberum, quia non recipit æſtimationem, 50. aureorum pœna eſt legibus conſtituta. Si vero is ex vulnere vixerit,

condemnabitur culpæ reus in mercedem Medicorum, & in id, quod interest, aut interesse in posterum poterit non fuisse læsum.

Si quid vero effusum dejectumve fuerit e Domo Filiifam. seorsum a Patre habitantis, vel si Filiusfam. male judicaverit, non Pater tenetur, sed Filius ipse familias, ne ex filii delicto Pater obligetur.

Tandem obligantur quasi ex delicto, sive maleficio Nautæ, Cauponæ, *Stabularii*, si res viatorum corruptæ fuerint, aut ablatæ a famulis, propter quorum factum datur contra Dominos, præter alias actiones, etiam actio ex quasi maleficio; propterea quod *pravos* Ministros adhibuerint.

Quæ actio est in factum, ad dupli æstimationem damni dati in re, cujus custodiam recipiunt. Eaque datur quidem heredibus Dominorum; non autem contra heredes Nautarum, Cauponum, & Stabulariorum. Iniquum est enim heredes teneri ex quasi *maleficio* aliorum unde locupletiores non fuerint; cum hæ sint actiones personales, quæ contra hæredes minime transeunt.

*Finis Libri Tertii.*

IN-

(a) L. 1. §. ult. ff. vacat. camp. stab.

# INSTITUTIONUM JURIS RECEPTIORIS

## LIBER QUARTUS.

### *De Actionibus, Exceptionibus, & Interdictis.*

QUONIAM quartus Liber, qui crimina complectitur, fere totus in Institutionibus Criminalibus explicatur; nec tempus nobis suppetit ad commodam expositionem materiarum civilium, quæ eodem quarto Libro inferuntur; propterea nos explicationem nostram tempori accommodantes in compendium hoc redegimus actiones exceptiones, & interdicta, sine quorum levi saltem cognitione, quæ auditoribus faciem præbeat ad persolvenda rerum harum volumina, plurimum utilitatis deesset Institutionibus nostris; siquidem Jurisprudentia fere omnis in actionibus, & judiciaria pugna diffunditur.

Actionis nomine facultatem illam intelligimus adeundi Judicis nostri juris experiundi causa, ideoque definitur jus

persequendi in judicio, quod sibi debetur.

Cumque actiones in varias divisiones discesserint, nos utiliores, & magis necessarias afferemus.

Sunt igitur actiones vel reales, vel personales. Actionibus realibus sine aliqua contemplatione personæ possidentis petimus rem ipsam vel nostram, vel nobis debitam. Actio, qua rem nostram petimus ab alio retentam appellatur *rei* vindicatio. Est autem actio in rem vel directa, quæ datur domino ipsius fundi, vel utilis quæ datur ei, qui fundum a Domino conduxit.

Quoniam autem non semper vindicamus res corporales; sed aliquando incorporales qualia sunt Jura nostra in aliena re puta servitutes aut Urbanæ, aut Rusticæ, quæ fundis nostris debentur a fundis alienis: hinc siquidem asserimus nobis jus esse usufructus, vel itineris, aut viæ in alieno fundo ex hac assertione nascitur actio, quæ vocatur confessoria; si verò possessores nos rei simus, quam volumus ab ea servitute liberare propterea quod Judicem adeuntes negemus Adversario jus esse eundi per fundum nostrum, tum ex hac negatione prodit actio, quæ negatoria nuncupatur, qua unice actione is qui possidet partes

agit

agit actoris ; cum in ceteris possessor semper reus existat.

Sicut autem actiones pleræque aliæ, ita & reales partim à Jure Civili prodierunt, nempe ab ipsis Legibus, partim tacentibus legibus à Jurisdictione Magistratus legi suam vocem attribuentis, illæ civiles ; hæ prætoriæ dicuntur. Talis ex actionibus realibus est Publiciana inventa à Prætore Publicio, per quam repetimus ab extraneo possessore rem eam, cujus usucapionem inchoavimus ; vel illa Publiciana quoque, sed alterius generis ; per quam rescindimus usucapionem rei nostræ usucaptæ ab eo, cum quo cum Reip. causa abesset, agere non poteramus dum usucaperet intra quadriennium continuum a reditu in Urbem.

Talis est & Pauliana, per quam Creditores revocant a possessoribus ad se bona per debitorem fraudolenter, ad Creditores eludendos alienata, si alia bona Creditoribus desint.

Talis item est & Serviana Servii Prætoris, qua Dominus mercedis Creditor experitur super rebus invectis a Colono super fundo locato, quæ res sive instrumenta fundi sunt pro mercede Domino obligata. Cujus ad exemplum Jurisconsulti veteres excogitarunt quasi

ſervianam, per quam agimus ſuper rebus illius, qui conduxit a nobis domum, nempe ſuper rebus Inquilini in domum illatis; cum ſuperior, nempe ſerviana pertinuerit tantum ad fundos ruſticos; quaſi ſerviana vero non ſolum ad Urbanos fundus pertineat; ſed ad omnes hypothecas, & pignora contra poſſeſſores illorum porrigatur, dummodo exploraverint Creditores bona debitoris, & expenſo Patrimonio nihil præter res ab aliis poſſeſſas invenerint, *auth. ſed hodie C. de obl. & act. auth. hoc ſi debitor. C. pignorib.*

Perſonales vero actiones tendunt non contra rem aliquam noſtram, vel nobis debitam; ſed contra perſonam nobis aut ex contractu, aut ex quaſi contractu obligatam, quæ item non modo civiles ſunt, nempe ex ipſis contractibus a Lege excitatæ; ſed etiam Prætoriæ, nempe præſtitæ a Magiſtratu ex tacito ſenſu Legum, qualis eſt actio de peculio profectitio filiifam., vel de peculio ſervi. Quamvis enim Pater, & Dominus ex contractibus Filii, vel ſervi non teneantur; tamen quia conceſſis peculiis ad mercimonium tacite videntur in contractus filiorum, vel ſervorum conſenſiſſe; propterea juſſu Prætoris a Creditoribus filii, vel ſervi conveniuntur,

tur, non quidem in ſolidum, ſed quatenus poſſident ex bonis peculiaribus, Sed ſi Creditores ſint ex cauſa pecuniæ filio mutuatæ contra S. C. Macedonianum ne quidem ex cauſa peculii Parentes tenentur.

Sunt & actiones præjudiciales, quæ inſtituta Judicia ſuſpendunt, donec de majori cognitione tractetur, ex cujus eventu minor cognitio pendet. Veluti ſi agatur de hæreditate paterna, & incidat quæſtio an petitor ſit filius; nam ſuſpenſa hæreditatis quæſtione cognitio ſuſcipienda eſt de majori cauſa, nempe an ille ſit filius; quæ præjudicialis actio dicitur, quia eſt Judicium præcedens.

Sunt & actiones, quæ pœnæ perſecutoriæ appellantur, quibus petimus, ut quis propter delictum, quo nos læſerunt nobis in certam pecuniam damnetur.

Et quoniam aliquando reus damnatur non modo ad rependendum nobis damnum illatum, ſed ex contumacia ſua etiam condemnatur ſupra damnum, propter hanc miſturam pœnæ, & damni miſtæ actiones appellantur, qualis eſt actio ex lege Aquilia, in qua ſi quis neget, & inficietur damnum nobis dediſſe, condemnatur in duplum.

Dicuntur & miſtæ actiones, propterea quod res, & perſona ſimul obli-

gatæ per eas conveniuntur ; qualis est actio communi dividundo, in qua dividuntur inter socios sibi viciſſim obligatos ex persona singulorum bona ejusdem Societatis obligata communiter , & singulis ; qualis itidem est actio familiæ herciscundæ , sive dividendæ hereditatis inter plures coheredes obligatos itidem inter se viciſſim, & obligata sibi habentes bona hereditaria . Talis etiam est actio finium regundorum, sive terminorum ponendorum in Agris vicinis , in quibus arbiter, plus minusve alteri , ut sibi æquius videtur vel ex Societate , vel ex hereditate , vel ex portionibus Agrorum attribuit.

Est & actionum alia divisio in actiones bonæ fidei, & stricti Juris . Appellantur autem bonæ fidei propterea quod in iis Iudex condemnat supra , vel minus quam expressum fuerit in contractu, propter æquitatem, quæ includit , ea quæ in mente contrahentium tacite subeunt, quamvis in verba non excurrerint : cum verba non semper voluntati respondeant , nec voluntas sit ubique parata. Stricti vero juris sunt actiones illæ , in quibus Judex nihil addere , aut demere formula sua potest , præter id , quod contrahentium verbis continebatur ; quales sunt actiones ex stipulatu venientes ;

nam

nam si quis centum promiserit, non potest plus, minusve quam in centum condemnari.

Contra verò inter bonæ fidei actiones veniunt actiones ex vendito, locato, conducto, negociorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, & similibus venientibus ex venditione, locatione, societate, aliisque contractibus bonæ fidei, in quibus supplet æquitas tacita, quod abest a verbis contrahentium, ut ex libro superiori cognoscitur.

Atque ad hanc naturam revocatur actio, quæ a Jurisconsultis appellatur in factum procedens, nempe ab eo negocio gesto, quod ad certum nomen contractus revocari nequibat, tamen poscebat æquitas, ut ex eo facto vel ad utile comparandum, vel ad evitandum damnum actio daretur. Quamobrem libello actor exponebat ipsum factum sine certo contractus nomine, & ex cognitione illius facti Judex vel damnabat reum ad aliquod, vel absolvebat. Cui actioni affinis erat actio præscriptis verbis, in qua adjectis ipsis verbis contractus in formula actionis cognitio Judici dabatur, ut ex ipsis verbis judicaret, quamvis qualis esset contractus definiri nequiret.

Pro dotis repetitione soluto Matrimonio duplex olim actio Mulieri dotem re-

petenti dabatur: quarum altera stricti juris erat, altera bonæ fidei.

Stricti juris erat actio extipulatu, si de dote restituenda stipulatio intervenisset; bonæ fidei erat actio rei uxoriæ, quarum in singulis certum, ac distinctum erat commodum: quod utrumque Justinianus in unam actionem contraxit, & deduxit, quæ est actio ex stipulatu: qua actione complexus est vim stipulationis, adeout Mulier possit è stipulatu agere, etiamsi stipulatio nulla præcessisset; omnemque illius actionis utilitatem, quæ plurima erat, assequatur, & simul commoda rei uxoriæ actionis obtineat.

Quam actionem in actionem ex stipulatu transfudit. Undè actio e stipulatu, quæ pro dote competit, jam non est stricti juris amplius, sed bonæ fidei, utpote subrogata in locum rei uxoriæ actionis, quæ bonæ fidei erat, quæque nunc naturam suam retinet in actione ex stipulatu a Justiniano constituta. (*a*)

Hinc actioni Justinianus adjecit etiam commodum prælationis adversus Creditores alios; voluitque, ut mulier Creditrix mariti ex causa dotis præferatur omnibus mariti creditoribus etiam ipsa mu-

[*a*] L. unic. C. rei uxor. act.

muliere anteriorem hypothecam habentibus : exceptis ex Bulgari receptiore interpretatione creditoribus iis qui anteriorem ſimul & expreſſam in contractu habeant hypothecam , cum mulier non aliam ex lege habeat , quam tacitam ideoque tantum anterioribus tacitam habentibus præferri decet . Quæ uxoris dotiſque privilegia interpretes , etiam ad liberos , & nepotes , matris , aut aviæ nomine , dotem repetentes protraxerunt . ( *a* )

Suſtulit etiam Juſtinianus veterem ſtricti Juris & bonæ fidei differentiam in compenſationibus , quas in omnibus cujuſque generis contractibus æque procedere conſtituit , ſi aliqui ſint invicem inter ſe creditores , & debitores ; nam juſſit , ut debitum liquidum , & ſumma certa perſoluta , cum credito alterius liquido , & ſumma debita ipſo jure compenſetur in credito pecuniario , vel in eadem ſpecie utrimque debita quæ numero pondere menſura conſiſtat . Secus verò , ſi ſpecies invicem debeantur , aut alter debitor ſit ex cauſa depoſiti , nam propter ſummam bonam fidem , quam de-

---

[ *a* ] DD. ad l. unic. verſic. exceptis C. de ux. act.

depositarius debet ; res est illico restituenda, nec retinenda propter proprium creditum . ( *a* )

## *De exceptionibus .*

ACtionibus opponuntur a reo adversus actorem tamquam gladio clipeus exceptiones, quæ actionem vel differunt in aliud tempus, & dilatoriæ dicuntur , vel prorsus perimunt , puta quando quis adversus creditorem objicit pecuniam a se debitore jam persolutam fuisse & peremtoriæ nuncupantur . Inter exceptiones autem *memoratu* maximè necessaria est ea quæ appellatur non numeratæ pecuniæ, quæ datur ei , qui propter spem, & fiduciam pecuniæ sibi proxime a creditore numerandæ confessus est se pecuniam accepisse a Creditore, cum non acceperit, de qua scripsimus libro Tertio . Cujus exceptionis opponendæ tempus debitori *præstitutum* quod olim erat ad quinquennium , Justinianus ad biennium redegit , ut eam postea opponere non liceat . ( *b* )

Op-

---

( *a* ) L. 4. & ult. C. de compens.
[ *b* ] L. penul. C. de non numerat. pecun.

Opponendæ autem ſunt exceptiones dilatoriæ quidem ante litem conteſtatam, peremtoriæ vero ante ſententiam quandocumque. (*a*) Excipitur auxilium S. C. Macedoniani, quo juvatur Filiusfam. adverſus fæneratorem. Item miles, donator, maritus, patronus, ſocius, & alii, qui habent privilegium a lege ne condemnentur ſupra vires, & ſupra quam facere poſſunt. Excipitur, & mulier, quæ etiam ſicut Filiusfam. Macedonianum, poſt ſententiam, objicere poteſt. S. C. Vellejanum quo cavetur, ne fœminæ ex interceſſione, vel fidejuſſione ſua conveniantur: niſi vel doloſe verſentur in contractibus (*b*), vel ei S. C. mulier renunciaverit (*c*), vel ſe obligaverit in proprium commodum. (*d*) Exceptiones rei actor redarguit replicationibus, replicationes actoris reus redarguit duplicationibus, duplicationes rei actor redarguit triplicationibus, & ſic deinceps ex parte actoris vel rei pro multitudine exceptionum repetitarum augentur

---

[*a*] L. penult. & ult. ff. & l. ult. C. de except.

(*b*) L. 12. & ſeq., C. ad S. C. Vellei.

[*c*] L. ult. §. penult. ff. eod.

[*d*] Auth. ſi qua mulier, C. eod.

tur & vocabulorum vices, donec Judex auctoritate sua quæ hac in re plurimum pollet, eas resecuerit, ne lites progrediantur in infinitum.

## *De Interdictis.*

INterdicta sunt decreta Magistratus quæ interponuntur inter eos qui litigant de possessione, ut possessio alicui eorum decernatur, donec de proprietate litigabitur; quod est judicium longe prolixius, cum interdicta sint judicia celerrima propter pericula contentionum quæ exoriuntur dum de possessione certatur. Ac dicuntur interdicta, quasi dicta interim donec de proprietate cognoscatur. Nihil enim habet commune possessio cum proprietate; unde potest hæc pertinere ad alium, cum tamen alius in possessionem permaneat.

Sunt autem interdicta vel prohibitoria, cum Prætor vetat aliquid fieri, veluti ne in loco sacro ædificetur: vel restitutoria, cum Prætor aliquid restitui jubet puta cum mandat prædoni, ut restituat vero Domino; vel exhibitoria cum Prætor imperat ut si qua res lateat, de qua controversia sit in lucem adducatur.

Sunt

Sunt autem Interdicta vel adquirendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ poſſeſſionis. Adquirendæ poſſeſſionis ſunt ea, per quæ poſſeſſionem, quam nunquam habuimus nanciſcimur, quale eſt interdictum *Quorum bonorum*, à ſuis initialibus verbis ita nuncupatum, quo heres petit poſſeſſionem rerum hereditariarum ab injuſto poſſeſſore. Quale item eſt interdictum ex *l. ult. C. de edict. D. Adr. toll.* quo petimus ex teſtamento non vitiato, non abolito poſſeſſionem hereditatis, & immiſſionem, dilata in aliud tempus quæſtione falſitatis. Quale item eſt interdictum *quorum Legatorum*, quo heres petit poſſeſſionem rerum legatarum, quas habere, ac de manu ejus capi plurimum intereſt ſua, ut detrahere falcidiam poſſit antequam tradantur Legatariis.

Ad poſſeſſionem etiam adquirendam pertinet Salvianum Interdictum a Salvio Prætore inventum adverſus Colonum ſuper rebus Fundi pro mercede obligatis, & ab Interpretibus poſtea extenſum contra quemlibet debitorem, qui res pignori obligavit, immo & contra tertium poſſeſſorem ea pignora detinentem adverſus quem ex ſtylo Rom. Curiæ agitur etiam non excuſſo principali debitore. (*a*) In cujus interdicti judicio ſuffi-

cit

[*a*] Pacific. de Salv. interd. c. 2. in ep. 2. n. 3.

cit probare rem tempore, quod obligabatur fuisse a debitore possessam: unde præstat hoc interdicto agere, quam serviana actione, in qua utpote petitoria probandum est rem non modo tempore obligationis fuisse a debitore possessam: sed etiam ad illius dominium pertinuisse. (*a*)

Interdicta retinendæ possessionis a suis itidem initialibus verbis appellantur *Uti possidetis*, & *utrobi*, quorum prius pertinet ad possessionem immobilium; posterius ad mobilium. Unde cum duo de rei ejusdem possessione retinenda contenderent, ut apparere potuisset actor, & reus, & judicium procederet. Prætor unum constituebat reum, eique dabat possessionem; indeque alter actor remanebat, ac deterioris conditionis, quam reus, qui ut possessionem retineat, satis est actorem jus suum non probasse.

Is autem in hujus interdicti controversia hodie vincit, & possessionem retinet, donec de proprietate litigatur, qui litis contestatæ tempore neque vi, neque clam ab Adversario possideat. Et ex Jure Canonico jam recepto is præ-

va-

---

[*a*] C. de prætor. & Salv. interdict. ubi Cujac. & Perez.

valet, qui vel justiorem, vel antiquiorem possessionis causam ostenderit, *cap.* 9. *de probation.*

Possessio autem adquiritur animo, & corporis apprensione, quamvis solo animo, puta per Procuratorem, aut Colonum, aut Servum retineatur. Amittitur vero cum quis rem è manu dimiserit, & animum ejus retinendæ abjecerit.

Interdictum recuperandæ, quod ex ejus item initialibus verbis appellatur interdictum *Unde vi*, datur ei, qui vi dejectus fuerit a possessione, contra violentum dejectorem, immo & contra tertium possidentem quamvis ipse possidens rem non abstulerit *Can. reintegrandæ* 3. *qu.* 1. Quod & judicium spolii nuncupatur.

Atque hactenus de his, quæ per temporis brevitatem ex quarto Libro tradere licuit.

# De Publicis Judiciis.

## TITULUS XVIII.

Post expositâ privatorum Judiciorum genera, & rationes, merito adjicitur aliquid de Judiciis publicis, quantum sit satis ad Elementorum cognitionem. In pluribus autem a privatis publica Judicia differunt: nam privata per actionem ad repetendam rem suam, publica per accusationem ad puniendum crimen alienum instituuntur, neque quis exprimit actionem, qua agat, sed Legem, qua postulet. In publicis item Judiciis exigitur ut accusator subscribat in crimen, quo parem pœnam subeat, si falsum crimen opposuerit: scilicet ut ferat pœnam Talionis *Cujac.* 8. *obser.* 33. *l.* 3. §. 2. *ff. de accus. l. ult. C. eod.*, quæ tamen præsentibus moribus obsolevit.

Publica vero Judicia dicuntur tamquam populica, quod cuilibet è Populo ad publicam vindictam eorum Criminum accusationem instituere liceat, nisi certa lege prohibeatur, ne omnibus accusandi aditus pateat, (*a*) quod raro con-

[*a*] L. 43. §. 10. ff. de rit. nupt. & l. 8. cum seqq. ff. de accus.

contingit; ideoque dicitur omnibus plerumque licere.

Publicorum autem Judiciorum quædam capitalia ſunt, quæ ſcilicet adimunt caput naturale per ademtionem vitæ, vel caput civile per ademtionem libertatis, aut Civitatis: quædam vero non capitalia, quæ damnum pecuniarium afferunt cum infamia, quæ omnes damnatos quolibet publico Judicio comitatur. Nec ſolum accuſatione perſequimur publica delicta, ſed etiam per inquiſitionem, h. e. per Judicis officium, nedum accuſatorem, aut ejus diligentiam expectamus, criminum ulciſcendorum amittamus facultatem. Ideo hæc potius noſtris temporibus in deliciis omnibus frequentatur, nempe inquiſitio, quæ vel indefinita eſt cum certus Magiſtratus emendandis moribus, & puniendis communibus criminibus creatur, vel certorum criminum, cujus auctor ignoretur, vel certæ perſonæ cognitæ, qui alicujus criminis reus cenſeatur. Excitatur vero plerumque inquiſitio per denunciatores, & delatores, cum aliquod crimen deducunt in notitiam Magiſtratus, quæ denunciatio appellatur.

Sed jam exordiamur ab atrociſſimo Criminum, nempe Majeſtatis, quod veteres appellabant crimen perduellionis,

nis, recentiores vero, & vulgatiores interpretes appellant crimen Majestatis in primo capite, cum scilicet insidiæ, vel pericula, & machinationes intenduntur in ipsum Principem, vel rempublicam, & tranquillus Civitatis status factionibus, & conspirationibus improbe initis agitatur, vel cum Senatores, & qui publicam Principis auctoritatem suo ministerio exhibent vi, aut malis artibus periculose appetuntur; horum enim flagitiorum auctores non modo capite plectuntur dum vivunt; sed & mortui perpetua infamia notantur, neque morte damnationem effugiunt ut aliorum criminum rei, sed post mortem detecti auctores, hujus criminis, nomine saltem sustinent pœnam: & sive vivi, sive mortui damnentur, pœnam suam in liberos propagant, atque transmittunt. Hi enim testamentaria extraneorum hæreditate, ac legitima etiam Parentum, & proximorum successione privantur: Falcidia tantum filiabus in bonis Matris sexus imbecillitate, ea miseratione relicta. Neque factum tantum, sed & conatus etiam, & cogitatio criminis puniuntur, omnesque emancipationes filiorum aut Filiarum, omnes alienationes, & donationes a reis post machinationem criminis factæ rescinduntur; & ea bona,

quo-

quorum Uxores habent uſumfructum, non filiis, ſed Fiſco, cui bona omnia damnati cedunt, eædem Uxores, ſi decedant relinquere jubentur *l. quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt.* Sunt & alia Majeſtatis crimina, quæ non directo in Principis vitam, aut Reipublicæ periculum, ſed indirecto in eorum contemtum tendunt, qui mitiori pœna Judicum arbitrio pro facti qualitate afficiuntur, qualis eſt vectigalium ſine Principis auctoritate impoſitio, falſæ monetæ percuſſio, deturpatio Statuarum Imperatoris, privatorum Carcerum retentio, aut publicorum effractio, *l.* 2. C. *de falſ. monet. DD. ad d. l. quiſquis l.* 4. *ff. ad l. Jul. Majeſt. & l.* 7. *ibid. l.* 4. *ff. de pæn. l.* 1. C. *ſi quis Imper. maled.*

Aliud crimen publici Judicii, ubi tamen poſterioribus legibus ad accuſandum non admittuntur, niſi Pater, & Maritus, & poſtea proximiores, eſt adulterium, ſive violatio alieni thori: quod crimen olim relegatione, ut cum eruditioribus puto, plectebatur, poſtea ultimo ſupplicio affectum fuit lege Conſtantini *l. quamvis* C. *ad l. Jul. de adult.* Et Jure civili adulterium committitur tantum cum nupta; verum Jure Canonico committitur ſive ſolutus cum Conjugata, ſive Conjugatus cum ſoluta,

ſive

sive Conjugatus cum Conjugata commiſceatur *Can. nemo* 34. *quæſt.* 4. *Can. mœchaberis cap. præcepit. cum ſeq. qu.* 5. Pœnam vero gladii Juſtinianus novella ſua 134. cap. 10. in Maſculis quidem adprobavit ; Mulieres vero verberibus cæſas in Monaſterium deſtruendas Carceris loco juſſit, data Maritis poteſtate intra biennium illarum ad priorem conſuetudinem revocandarum, *auth. ſed hodie C. ad l. Jul. de adult.* Præſentibus moribus plerumque parcitur vitæ Adulteri, ſed ei exilium, aut multa, aut alia pœna pro Judicis prudentia injungitur.

Eadem lege Julia de adulteriis puniuntur omnia libidinis genera, quæ pleraque ſtupri nomine veniunt *latius* accepto. Strictius vero ſtuprum accipitur libido, quæ cum Virgine, vel Vidua honeſte vivente exerceatur. Cujus pœna ex legibus eſt in honeſtioribus publicatio dimidiæ partis bonorum; in viliioribus coercitio corporis, & relegatio. Nulla vero pœna *jure civili tenetur* qui cum proſtitutæ pudicitiæ Muliere ſe conjunxerit. (*a*) At in corruptorem pudicæ Virginis Jus Canonicum hanc pœnam ſtatuit,

(*a*) L. 22. C. ad l. Jul. de adult.

ſtatuit, ut aut eam in Uxorem ducat, aut ei dotem det, qua in Matrimonium alteri locetur; (*a*) quod cum legibus Athenienſibus convenit; diſcrepat vero ab hæbraicis, quod Moſis lege corruptor, & ducere, & dotare Virginem ſtupro ab ſe pollutam cogebatur *Deuter.* 22. 29. Inceſtus crimen eſt exercitium libidinis, cum ea, cujus propter ſanguinis conjunctionem nuptiæ nobis interdicuntur. Cujus criminis pœna eſt deportatio, vel ultimum ſupplicium velut ſacrilegos nuptiarum *l.* 30. §. *ſacrilegos* C. *ad l. Jul. de adult.* ſtupri nomine venit etiam apud optimos ſcriptores nefarium crimen averſæ veneris: cui plectendo armantur Jura ultore gladio, *ex l. cum Vir.* C. *ad l. Jul. de adulteriis:* (*b*) ſuſcitantur ſtammæ vindices, unde præſentibus moribus hujuſmodi flagitii auctores ultimo ſupplicio afficiuntur, & mortui comburuntur.

Homicidium, quod eſt violenta vel fraudolenta vitæ hominis ademtio punitur *l. Cornelia de Sicariis*, quæ quamvis



(*a*) Cap. 1. & 2. de adult.

(*b*) Nov. 77. & Nov. 141. Gudelin. de Jur. nov. l. 5. c. 8. l. 1. §. qui puero ff. de extraord. crim.

vis initio deportationem honestioribus, ultimum verò supplicium humilioribus reis statuerit; tamen Constitutionibus Imperatorum exacerbata, ultimum supplicium pro perpetua pœna omnium comprehendit: etiamsi infans, aut animatus fætus fuerit interemtus, & abactus, *l.* 1. §. 2. *ff. ad l. Corn. de Sic. l.* 38. §. 5. *ff. de pœnis*: & etiamsi occidendi consilium ei non præcesserit, dummodò fraudem, & conatum adhibuerit, eoque animo telum expedierit: (*a*) quo nomine omnia veniunt armorum noxia genera, *l.* 233. *ff. verb. sign.* Homicidæ autem Sicarii frequentius appellantur a Sica parvo, & retorto cultro, quod armorum genus *facile celatur*, ideoque majorem præbet nocendi facultatem. Pœnam autem homicidii effugiunt furiosi, & Puberes doli non capaces, & fortuiti, atque inculpati occisores, & qui alia ratione vitam suam nisi cæde Aggressoris tueri non potuerint, *l.* 3. *ff. & l.* 3. *C. ad l. Corn. de Sic l.* 1. *C. unde vi*. Exacerbatur autem pœna in eos, qui veneno, & incantationibus magicis hominem sustulerunt. Atque ideo majoris pœnæ metu venena prohibenda quod ab nocendum sint paratiora;

Te-

(*a*) L. 1. ff. ad l. Corn. de Sicl. 7. C. eod.

Teterrimum verò crimen admiſſum a filio in Patris necem, aut Matris, Avi, aut Aviæ, quod Parricidium appellatur, Lege Pompeja poſt Corneliam vindicatur: & pro conjunctione, ac pietate læſa exaſperatur. Unde Patris interfector culleo, ſive bovina pelle indutus, cum Cane, Vipera, Simia, & Gallo gallinaceo Mari mergebatur, ut terra vivo auferretur, & ſolatium celerioris mortis, quod in aquis inveniſſet per culleum eidem interciperetur, prorogato immanium ferarum commercio, quibus inter ſe pugnantibus dilaniabatur. Quæ pœna obſolevit pro vario more Regionum nam alicubi ante ſupplicium reus cauda equina trahitur: alicubi malleo percutitur, & alibi alio cruciatu aute torquetur. Nec minori pœnæ atrocitate plectitur qui filium proprium necaſſet. Ultimo etiam ſupplicio puniuntur, ſed mitiori cruciatu, qui fratris cæde ſeſe inquinaverint, aut alius conjuncti remotioris gradus: exacerbatis pœnis, aut mitigatis pro conjunctionis gradu, ac facti qualitatibus, *l. 6. & 9. ff. ad l. Pomp. de Parricid.*

Sequitur crimen falſi h. e. veritatis dolo ſubtractæ, vel immutatæ, aut conſenſu, cum quis contrahendo aliquem circumvenit, ſive rem alienam pro ſua

distrahens, sive rem eamdem pluribus vendit ; aut verbis , sive Judex pretio corruptus prave judicaverit, sive Testis falsa in Judicio protulerit ; aut scriptis si falsum Instrumentum Notarius conscripserit ; aut abusu , quando sciens prudens quis dolo malo iustrumentis falsis ab alio compositis utitur : aut facto , cum quis nummos, aut probos raserit , aut adulterinos cuderit , coloraverit . Dicitur autem hoc Judicium falsi descendere ex lege Cornelia testamentaria, quia hoc nomen Lex Cornelia de falsis meruit propter faciliorem hujus criminis frequentiam in testamentis : quæ magis insidiis patent dolo adstantium, & ægrotantis imbecillitate . Pœna verò ex ea lege in liberis fuit deportatio , in servis ultimum supplicium, ad quod etiam nostris temporibus, & contra liberum hominem devenitur pro gravitate delicti . ( *a* ) Ad legem quoque Corneliam testamentariam pertinet , & quasi falsum punitur ex S. C. Liboniano delictum eorum, qui sibi, aut suis etiam *jubente* Testatore in alieno testamento legatum conscribunt, nam & præter legati amissio-

---

( *a* ) Nono tit. ff. & C. ad l. Cornel. de falsis.

fionem, pœnam etiam falſi merentur; niſi adſit recognitio, & adprobatio Teſtatori, vel niſi ſervus ſit, aut filius, qui ſibi legatum adſcripſerit in teſtamento Patris, Patre dictante, *l.* 2. *&* 3. *C. de his qui ſibi adſcripſ.* Falſatæ vero monetæ crimen quodammodo ad Majeſtatem pertinet; ideoque bonis rei univerſis cum Domo, ubi falſum admiſſum fuit Fiſco addictis, reus capite plectitur *l.* 1. *&* 2. *C. de falſa moneta.*

Eſt & Crimen violentiæ, quod ulciſcitur lex Julia de vi publica, & vi privata. Vis publica erat olim, quæ à publicis perſonis inferebatur; privata verò, quæ à privatis, *l.* 7. *ff. de vi pub.*; ſed poſtea mutata definitio fuit, & vis publica ea dicitur, quæ cum armis; privata vero quæ ſine armis adhibeatur; cum arma ſint propria Inſtrumenta Reipublicæ: nam *L. XII. tab.* nemini privato telorum uſum iu Urbe permittebant. Vis publicæ pœna erat olim aquæ, & ignis interdictio, & ejus loco ſubjecta deportatio: privatæ publicatio tertiæ partis bonorum, (*a*) quæ hodie ob-



(*a*) L. 1. & ult. ff. ad l. Jul. de vi priv. & l. Julianus ff. eod. auth. bona C, de bonis proſcriptor.

obsolevit, nam arbitrio Judicis pro facti gravitate vis privata vindicatur, & publica ultimo supplicio, si cum seditiosis hominibus excitato tumultu, & factione vis inferatur, si hæc absit, pro delicti gradu relegatur reus, vel fustibus cæditur, vel alia pœna judicis arbitrio afficitur *Decian. l.* 8. *c.* 18. *num.* 5. 7. & 19.

Vis vero ea est omnium maxime detestabilis, quæ adhibetur ad rapiendas Virgines, etiam callide ad raptum patiendum inductas libidinis causa. Nam ultimo supplicio punitur, *l. unic. C. de raptu Virg.*, nisi Matrimonium inde legitimum contractum fuerit: Etenim jure Canonico nuptiarum gratia pœna remittitur, *Cap. cum Causa de raptor. Can. statutum* 27. *q.* 2.: dummodo è raptoris manu dimissa libere consenserit Mulier: cui & congruam dotem raptor, etiamsi eam non ducat, constituere compellitur, *Concil. Trident. sess.* 24. *c.* 6. *de Reform. Matrim.* raptus autem pœna eliam adjutores comprehendit, immo & parentes Virginis si injuriam improbe, atque ignave dissimulaverint, eamque vindicare neglexerint; *d. l. unic. C. de raptu Virg.* Raptores vero Viginum Deo dicatarum, sive Sanctimonialium ultimo supplicio majori legum asperitate damnan-

nantur, addictis eorum bonis Monaſterio, unde Virginem ſacrilege avexerunt, *l. raptores §. bona C. de Epiſc. & Cleric.*

Veniamus ad peculatum, quod eſt furtum pecuniæ publicæ, aut Sacræ: cujus furtum etiam Sacrilegium nuncupatur. Peculatus olim pæna fuit quadrupli: cujus in locum ſucceſſit pæna deportationis. In Magiſtratibus vero, qui tempore adminiſtrationis ſuæ quid ex publicis pecuniis ſubtraxerint, & in Miniſtris eorum capite animadvertitur, *l.* 1. *& ult. C. ad l. Jul. pecul.* Idemque ſupplicium ſtatuitur in reo ſacrilegii exacerbato delicto, aut lenito pro modis ipſius, aut rei qualitatibus. *Cujac. parat. ff. ad l. Jul. pecul. & tot. tit. ff. eod.*

Sequitur plagium, quod eſt doloſa liberi hominis, aut ſervi alieni ſuppreſſio: quod committitur ſive quis celaverit illos, ſive permutaverit, ſive vendiderit, ſive emerit, ſive donaverit. Quod crimen L. Fabia punitur, quæ de plagiariis dicitur pæna olim pecuniaria, quæ nunc etiam ad ultimum ſupplicium extenditur duobus caſibus, nempe ſi Plagiarius vendat ſervum, aut liberum hominem alio adſportandum; & ſi idem Plagiarius filium alterius adhuc Patre ſuperſtite ſupprimat, *l.* 6. *&* 7. *C. ad l.*

*Fab. de plagiar. l.* 1. 2. *&* 4. *ff. eod. cap.* 1. *de furtis.*

Est & ambitus crimen, cum quis pretio, & malis artibus emit honores, quod Canonibus appellatur Simonia a Simone Mago Sacrorum, & spiritualium emendorum auctore. Olim in populari Republica crimen hoc erat frequens. quia poterat accusari qui eum commiserat: rebus vero ad unum translatis, hæc inquisitio cessavit, non quod crimen defuisset, sed quod accusari non poterat emtor honorum, nisi una notaretur & venditor. Quod lege Majestatis vetabatur, nisi tractatus habitus fuisset cum aliquo Magistratu, qui ob largiendos honores, ex potestate sua proficiscentes, pecuniam accepisset: cujus criminis pæna erat deportatio si contigisset in Urbe: si vero in municipiis pæna erat centum aureorum cum infamia. (*a*) Pæna quoque ambitus tenetur & is qui officium & munus publicum vel repetit, vel continuat adhuc administrationis ratione non reddita.

Occurrit nunc Lex Julia repetundarum, qua repetuntur pecuniæ datæ Magi-

---

[*a*] L. unic. C. ad l. Jul. de ambit. & ff. eod.

giſtratibus, & Judicibus poteſtatis publicæ in alienam gratiam impertiendæ, aut ſententiæ dicendæ cauſa; qua etiam lege poſtulatur & Teſtis, qui ob dicendum teſtimonium, vel non dicendum pecuniam acceperit. Cujus delicti pœna eſt extraordinaria, & pro perſona, vel facto exacerbatur, aut lenitur: & modo ad remotionem à munere progreditur, modo ad relegationem, modo ad ultimum ſupplicium excurrit. Quod præcipue imminet Judicibus, qui innocentem injuria damnaſſe arguantur. Ac ſi civiliter agatur reus damnatur in quadruplum ejus pecuniæ: quam accepit, *l. ult. in fin. C. de l. Iul. repetend. l. 3. 4. 7. §. 3. ff. eod.*

Nec modo fraus Judicum, ſed & privatorum ex quacunque iniqua ſimulatione, aut ſycophantia, per quam alter lædatur: quod crimen ſtellionatus appellatur a ſtellione varii coloris reptile, cui & impoſtores ob mendacia, & verborum, ac figurarum varietatem, & ob verſipellem naturam comparantur. Quod Judicum arbitrio pro delicti modis punitur.

Lex vero Julia de Annona ulciſcitur audaciam eorum, qui Annonam vexantes publicam inopiam inducunt, ut res carius vendantur: cujus pœna ſtatuitur

a lege 20. aureorum, vel relegatio, vel mercimonii interdictio pro delicti magnitudine: qua tenentur, & ii, qui coemunt quantum possunt, ut postea carius vendant, quos Dardanarios Leges appellant; forte a Dardano hujus malitiæ inventore.

Sed jam finem Titulo, & Operi simul imponamus lege Julia de residuis, qua plectuntur qui partem aliquam retinent pecuniæ publicæ; aut qui retinent totam, quam administrandam acceperunt, & vel eam ad præstitutum usum non adhibent, vel in publicas rationes referre, ac restituere negligunt, cujus pœna est infamia cum onere restituendæ pecuniæ retentæ, & insuper tertia parte ipsius, *l.* 2. 4., *& seq. ff. ad L. Jul. pecul.*

*Finis Libri Quarti.*

# J A N I
# VINCENTII
# GRAVINÆ
## *J. C.*
# DE CENSURA
# DISSERTATIO.

# THESIS
# INAUGURALIS
# MEDICA
# DE CONSUETUDINE
# QUAM VIS
# DISSERTATIONE

# J. VINCENTII GRAVINÆ J. C.

## DE CENSURA.

## DISSERTATIO.

CENSORII Magiſtratus in majeſtate Reip. tuenda dignitatem, & in rebus recte regendis utilitatem omnibus rerum a P. R. geſtarum momumentis proditam, atque teſtatam: id præter cetera commendat quod non prius Populus Rom. juſtis rectiſque legibus coaleſcere inter ſe, ac ſolidis initiis ſtare Reſp. viſa eſt, quam hæc rectorum inſtitutorum omnium cuſtodia adverſus exultantem, atque furentem licentiam opponeretur; neque dejecto hoc virtutum omnium præſidio, & obice iſto vitiorum remoto Reſp. permanere diutius atque conſiſtere valuerit. Cum enim corrupti jam populi mores, vires Cenſuræ fregiſſent, & ſeveritatis vincula quibus optimus rerum ſtatus, & quies publica continebatur, impetu quodammodo facto fregiſſent, hujus magiſtratus

metum

metum ex improborum hominum capitibus avertissent: statim veluti subducto concordiæ fundamento, solutoque fræno licentiæ: simul cum Censura, & libertas quoque, atque ipsa Resp. collapsa est. Neque enim cum tam fædis corruptisque moribus jungi miscerique majestas Censuræ potuit; neque sepositio splendore, & majestate Censuræ, legum vis, & populi libertas retineri. Digna res est igitur Censura cujus vires, & potestas e recondita antiquitatis memoria in notitiam hominum pertrahantur: cujusque dignitates, & munera, qua majori diligentia possumus illustrentur. Ortum igitur, cursum, & finem illius inquirentes, ad præcipua deinde munera istius magistratus accedemus; postremo præcipuas dignitates ipsius, & honores explicaturi: exordium capientes a censu è cujus cognitione, recta magistratus hujus notitia trahitur.

Census proprie est actio ipsa Censorum Cives Rom. & eorum bona recensentium de qua apud Pomp. (*a*) Census autem personarum erat, & bonorum. Personarum Census erat cum Cives singuli in sua Tribu, classe, centuria,

---

[*a*] L. 2. §. post deinde ff. orig. jur.

ria, nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum, servorumque suorum, item cujusque ætatem, & quam Urbis regionem habitarent, jurejurando dato profitebantur. Bonorum census erat cum idem patresfam. sua prædia tum urbana, rustica, servorum, pecudumque numerum, fundorum instrumenta, suppellectilem, pecuniæ denique numerum profitebantur. Ideo Census pro bonis fortunisque omnibus accipiebatur. Unde Ulp. (*a*) *Hoc idem & si patrimonium fuerit rogatus* (restituere,) *& si facultates, & si quid habeo, & censum meum*. Inde est ut censu manumitti dicerentur servi qui lustrati censu Romæ jussu Dominorum (*b*) inter Cives Romanos se profitebantur, quod explicat Ulpian.

Censuram autem a Principio Reges exercuere. Cum enim Servius Tullius censum instituisset, ipseque curam suam in censendis Civium capitibus posuisset, idem deinde munus Reges cæteri suscepere. Regibus exactis simul cum cæteris potestatibus muneribusque, Regiis, & Censura quoque ad Consules pervenit.

Qui

---

[*a*] L. cogi 16. ff. ad trebell.
[*b*] C. 1. Instit.

Qui rerum domi foriſque gerendarum curam ſuſtinentes cum tantam negocii molem ferre non poſſent, aliqua ſe parte curarum exonerarunt, & cenſendi populi munus in certum ac præcipuum magiſtratum a Populo creatum tranſtulerunt. Per annos enim decem & ſeptem propter Conſulum occupationem qui variis acerrimiſque bellis diſtinebantur cenſus fuerat intermiſſus, ideo anno decimo trecenteſimo ab U. C. inſtituta fuit cenſura, quem Magiſtratum Patres eo lætius accepere, quod Patriciorum Magiſtratuum numerum in Republica augeret, ac præceperunt animo, quantum ex parvis initiis orta creſcere deinde Cenſura deberet, quod incrementum pene cum ſuo ortu cenſuræ acceſſit. Nam C. *Julio* iterum, & *L. Virginio Conſulibus*, vel ut alii putant, Julio tertium, & Virginio iterum, ſive anno Urbis trecenteſimo decimo nono Mamercum Æmilium Dictatorem a Senatu creatum, ut dictatura aliquid memorabile gereret, nomenque ſuum in eo Magiſtratu inſigne redderet: de minuenda nimia Cenſorum poteſtate conſilium ſuſcepiſſe Livius auctor eſt. (*a*) Primi L. Papirius Mugilanus,

---

[*a*] L. 4. c. 24.

nus, & L. Sempronius Atratinus cum spretus is honor esset a primoribus Civitatis, a Populo suffragiis creati hunc Magistratum injerunt; (*a*) & Censores sunt appellati sive quod ad eorum censionem h. e. arbitrium populus censeretur, sive quod quantum illi censerent, uniuscujusque res æstimaretur. Sed non diu hic Magistratus in solo Patriciorum ordine perstitit. Plebs enim cum omnia sibi cum Patribus promiscua faceret, cum quidquid summum esset appeteret, adjuvante ope Tribunicia & hunc etiam honorem ad se traxit, quodque solius patricii generis erat commune reddidit. (*b*) Unde anno U. C. quadringentesimo secundo C. Sulpitio Pætico, & T. Quintio Penno Coss. Censor è Plebe creatus C. Marcius Rutilus idem qui ad Dictaturam Plebi aperuerat viam, vir quidem gravissimus & cujus Majestas nullius honoris gradum non æquabat. Nec unum modo, sed & alterum quoque, plebs obtinuit creari censorem, nam Q. Pompejus, & Q. Metellus uterque ex plebe Censores facti Lustrum condide-

---

[*a*] Lib. 4. c. 9.
[*b*] Liv. lib. 7.

diderunt. (*a*) Cum hæc potestas in quinquennium duraret, (*b*) Mamercus Æmilius Dictator graviter ferens alios magistratus leviores & annuos esse: hunc qui jugo duriori cervices Civium premeret quinquennalem, ideoque homines Censoribus per tot annos magna parte vitæ obnoxios vixere; legem tulit ne plus quam annua, vel semestris censura esset, quam ingenti populi consensu acceptam exemplo sanxit. Statim enim & ipse Dictatura se abdicavit. *Ut re ipsa* (inquiens) *Quirites sciatis quam mihi diuturna non placeant imperia dictatura me abdico.* Quod impune Mamerco non fuit. Censores enim ægre passi Mamercum quod Magistratum P. Rom. minuisset, tribu moverunt, octuplicatoque censu ærarium fecerunt. Nec tamen id obstitit, quin exigente usu Reip. idem vir censoria animadversione notatus ad summos iterum honores vocaretur, Dictator creatus Vejentium bello: (*c*) Populi certe tantam indignationem in Censores coortam fuisse dicitur, ut ab eorum capite nullius, quam ipsius Æmilii auctori-

---

[*a*] Liv. Epitom. 59.
[*b*] Lib. 4. cap. 24.
[*c*] Lib. 4. cap. 31.

ctoritate vis arceri potuerit. Adeo spectata virtus fœditatem inustæ notæ delevit. Et Mamercus ipse ingenti animo injuriam tulit, causam potius ignominiæ, quam ipsam ignominiam spectans. Neque vero alios modo, sed & se ipsos mutuis odiis Censores exagitarunt. Nam P. Sempronio, & M. Cornelio Coss. acris discordia inter Censores M. Livium, & Claudium Neronem orta est: invicem se ignominia notantibus, itaut cum quis labefactare alterius famam crederet, suam inquinaret. Claudius enim cum ad Tribum Polliam ventum esset, in qua nomen erat M. Livii: jussit a Præcone ipsum citari Censorem, (*a*) sive actus antiquæ & nondum depositæ inimicitiæ stimulis, sive ostentatione severitatis inflatus. Et quia Livius Populi judicio fuerat damnatus, & in exilium pulsus, ausus est Censori equum adimere. Cui & vicem reddidit Livius cum ad Tribum Narniensem & nomen Claudii ventum fuit, Claudio vendere equum jubens duas producens causas, & quod Claudius adversus Livium falsum testimonium dixisset, & quod nondum ex animo veteri odio depulso, non sincera fide

[*a*] Liv. lib. 29. in fin.

fides secum in gratiam rediisset. Neque collega solus, sed Populus fere omnis censoriam severitatem, & offensi, ob injustum exilium, animi sensit iram. Exitu enim censuræ Livius in ærarium venit, & P. R. omnem quatuor, & triginta tribus adempto suffragii ferendi jure ærarias reliquit, quod & se innocentem damnassent, & damnatum Consulem & Censorem feciissent. Una modo Tribus Mæcia à tanta ignominia servata: quod cæterarum Tribuum consilia non probasset. Hæc vehemens animadversio in invidiam Populi conjecit censores, quam occasionem commendandi se plebi nactus Q. Bebius trib. pleb. diem ad Pop. utrique dixit. Eaque res consensu Patrum discussa est, ne Censura Populi auræ redderetur obnoxia

P. Cornelio Scipione, & Tit. Sempronio Longo Coss. Censores creati Sext. Ælius Pœtus, & C. Cornelius Cæthegus, Ædilibus curulibus ludis Rom. imperarunt, ut a populo *senatoria loca* secernerent. Quo facto ingentem illius ordinis gratiam collegerunt cum antea promiscua sedilia essent. Cum amplissima per se esset Censuræ potestas, graviorem illius dignitatem, & insigniorem reddidit adjuncta personæ dignitas. Post-

quam

quam enim M. Cato Senior vir omnibus & belli & pacis artibus ornatus, quique humanas omnes cupiditates virtute vicit, & continentiæ laude sibi subjecit, hunc Magistratum favore plebis adversus obtinentem vim patriciorum adeptus est: mirum est quantum ex naturæ gravitate, & ex disciplinæ rigore ad hunc Magistratum auctoritatis & majestatis attulerit. Hominis severitatem præter cæteros expertus est Livius (*a*) Quintius, vir Consularis frater Ti. Quintii Flaminini viri insignis, qui multos annos bello, ac pace Remp. egregie administravit, ac P. R. gloriam, pluribus adjectis imperio gentibus, auxit. Hujus itaque fratrem Senatu movit Cato, quia inter cætera objectum erat quod ut Philippo Pæno caro a nobili Scorto obsequeretur: nobilem Bojum, qui cum filiis ad Quintium tum Consulem trasfugerat, interrogato prius puero an vellet eum morientem videre, atque illius vultu pallore mortis affecto, hominisque animam trahentis adspectu frui: cum puer vix serio annuisset, loquentem, percussit, ac deinde fugientem & fidem P. R. atque adstantium imploranti la-

tus

---

[*a*] Liv. lib. 39. c. 40.

tus transfixit . Multaque præterea edidit , in moribus corruptis coercendis, rectiſque inſtitutis jam labentibus reparandis inſignia probitatis , & gravitatis exempla .

Cum præpotens virium eſſet Cenſura poſtremis tandem temporibps inclinatis rebus & Rep. propter paucorum dominationem & licentiam ad interitum vergente : robur hujus magiſtratus non comminutum modo eſt , ſed pene extinctum ac vigor ipſius fractus atque laxatus . Poſt annum enim Urbis ſexcenteſimum ſexageſimum ſeptimum intermiſſa ac anno ſexcenteſimo nonageſimo tertio reſtituta , a Clodio tandem pernicioſo curſu omnem in Remp. peſtem inferentem everſa pene fuit . Is Tribunus plebis factus legem tulit ne quem Cenſores a Senatu moverent , neve qua ignominia afficerent ; niſi qui apud Tribunos accuſatus , & illorum quoque ſententia damnatus eſſet . Eam vero jam collapſam reparavit anno octingenteſimo primo Q. Metellus Scipio Pompei *in* Conſulatu collega . Rebus tandem in unius hominis poteſtatem adductis , ac ſimul cum ipſa forma Reip. virtute quoque P. R. delata : Cenſura cum maxime neceſſaria , & utilis , tum perincommoda , & intempeſtiva viſa eſt propter efræ-

frænatam licentiam atque imbecillis ad ingruentem molem vitiorum & morbi, qui vires remedii superabant, itaut tum minus efficax esset Censura cum magis Censorum severitate Resp. indigeret. Unde & mentione illata de Magistratu restituendo Tiberius ( *a* ) respondisse fertur : *non id tempus Censuræ nec si quid in moribus labaret defuturum corrigendi auctorem*. Quapropter in principibus ipsis Censuram revixisse proditum est, atque ab iisdem usque ad Decium Imperatorem hunc Magistratum gestum magis credo ne quid supremæ potestatis Principum Imperio non esset adjectum, quam ne Censuram jacentem desererent. Unde quod ad regenda Civium mores erat institutum ; ad elevandam Principis majestatem, atque ipsius augendum Imperium versum fuit. Nec omiserunt Numina ipsa hujus Magistratus interitum nunciare : cum tribunal illorum qui postremi sub Augusto Cæsare ex privatis hunc magistratum inierunt, dum tribunal concederent confractum corruit haud incerto omine nonnisi umbram illius Magistratus permansuram. Conatus quoque eamdem est restituere Theodosius,

( *a* ) Tacit.

sius, sive Arcadius : sed a Senatu repudiatum esse Symmacus refert, ipso Symmaco adnitente, & suadente (*a*) Extat & de Censorum Commentariis apud Dionysium mentio, quos a patribus filiis, atque ab his posteris suis traditos fuisse scribit, eadem cura qua paterna sacra & gentilitia. Et hæc quidem fuit origo, cursus, finisque Censuræ : nunc ratio instituti ordinis exigit, ut illius vires, ac potestates, & præcipua censorum munera aperiamus.

Censorum ea fuit auctoritas ut omnium Civium ordo, gradus, honos in Rep. in illorum testimonio reposita essent, atque cunctorum æstimationis & famæ judicium, ex eorum arbitrio penderet. Ac ut Livius ait (*b*) : morum disciplinæque Romanæ penes eum regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus Magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, & vectigalia Pop Rom. sub nutu atque arbitrio essent. Cum tanta moles rerum Censorum potestati committeretur, quo cautius

---

[ *a* ] Lib. 4. ep. 29. & 45. lib. 7. ep. 5.
( *b* ) Lib. 4. cap. 8.

tius esset Populo de suis fortunis ac fama: Censores Magistratum ineuntes jusjurandum dabant, se neque gratia neque odio quincquam gesturos, sed ex animi sui sententia, quæ utilia Reip. essent re quæsita & deliberata facturos. Munera igitur eorum multiplicia, quæ tamen ad duo præcipue genera contrahi possunt: æstimationem scilicet facultatum & morum. Cujusque enim ordinis suus erat Census lege definitus. Senatorum Censum constat fuisse octingentum millia sextertium viginti scilicet millia ducatorum, duplum equestris census; equitum enim census erat sextertium quadringentum millia h. e. decem millia ducatorum. In iis igitur quæ ad opes pertinerent (*a*) Censori jus erat publicas privatasque opes describere, Populum in centurias, ac classes distinguere, locare vectigalia. Dabant & leges per provincias quæ censoriæ sunt appellatæ. (*b*) Censorum quoque cura erat cum inirent Magistratum alere anseres in Capitolio ob memoriam servatæ ab imminenti fato Urbis; dum Galli clam nocte arcem invaderent,



(*a*) Cic. 3. de leg. Liv. 39. 43.
(*b*) Cic. lib. 1. ad Att. Ep. 1.

anseres autem vigil & sollicitum animal leni strepitu commoti voce sua cives dormientes excitassent ; item opera publica esigere [ *a* ] . Sed & vias publicas tueri , reficere , precia sacrificiorum publicorum curæ , portio censorii muneris erat , statuas omnes circa Forum , quæ Senatus aut Pop. sententia positæ non essent à Censoribus Scipione & Popilio sublatas fuisse Plinius scribit ( *b* ). Et fullonibus modum inpingendis vestibus fuisse præfinitum idem Plinius auctor est . Sed & tenujora istis ad suam diligentiam Censores revocabant . Nam si quis agrum suum negligenter custodiret , aut desertum relinqueret , & illum sordescere pateretur tutus a Censoris animadversione non erat . Altera pars Censorii muneris fuit Personarum cura , & morum uniuscujusque judicium . Censoribus itaque ante omnia cura erat Principem Senatus legendi , eum quem graviorem & laudabiliorem virtute , & moribus judicarent , isque erat ille ex Senatoribus cujus nomen primo loco recitabatur , qui honos maximus habebatur ,

---

( *a* ) Fest. verb. produit. Liv. lib. 42. 45. symm. lib. 1. ep. 6.
[ *b* ] Lib. 34. c. 6.

tur. Ad eandem rationem, & qui primus in equitum tabulis scribebatur, princeps equestris ordinis dicebatur. In censendis autem civium capitibus certam proprioque ordine notam Censores habebant, quam cuique pro suo gradu, & ordine inurerent. Quatuor igitur erant animadversionis censoriæ notæ. Ejectio è Senatu, quæ nota ad ordinem Senatorium pertinet, eaque erat cum initio censuræ dum nomina Senatorum recitarentur, alicujus Senatoris nomen Censores præterirent, quo silentio infamia Senatori præterito irrogabatur, & tacito judicio è numero Senatorum censebatur exemtus, ac loco motus, itaut nomen illius, e Senatorum albo deleretur. (*a*) Hique præteriti dicebantur, quo loquendi genere utitur Livius (*b*), cum refert tres Senatores quorum nemo curuli honore erat usus à Censoribus fuisse præteritos. Tantam autem in Senatoribus morum gravitatem & modestiam Censores requirebant: ut P. Cornelius Rufinus à Cajo Fabricio Censore fuerit senatu motus quod decem pondo argenti facti pro convivio apposuisset.



---

[ *a* ] Fest. in verb. præteriti.
( *b* ) Lib. 34. c. 44.

set . Altera nota est equi ademti quæ pæna erat alterius ordinis nempe Equestris . ( *a* ) Moris autem erat ut in publica recensione Equites ad locum ubi Censor sedebat accederent equos manu ducentes: quos si probaret Censor: præterire , aut traducere equum solemni formula jubebantur : sin improbaret equus adimebatur, & vendi jubebatur . Auctores ferunt, adeo levibus ex Causis Censores notam inurere consuevisse , ut nimis corpulenti milites equis ademtis , ignominiaque affecti exercitu a Censoribus dimissi fuerint. Et Eques Rom. cum ipse præter modum comptus esset , & cultus, equus autem ipsius morbosus interrogatus à Censoribus cur ipse tam esset comptus , equus autem ipsius squallore affectus & languidus ? cum respondisset, quia sui curam gereret ipse, equi vero Statius Servus suus ; cum id parum demissum & humile responsum fuisset Censoribus, ignominia notatus , illorum severitatem expertus est . Tertia nota & quarta ad plebejos refertur : quos Tribu movebant, sive ut ait

Li-

---

[ *a* ] Fest. in verb. Censio Plutar. in Pomp. Agell. lib. 4. Revard. lib. 2. var. c. 15.

Livius Civem Romanum ex honesta, & rustica in minus honestam, & urbanam Tribum traducebant. Rusticæ enim Tribus urbanis præferebantur, tum quia ut ait Varro inter veteres magna erat laus rusticæ vitæ : cum qui in urbe vivunt propter intermissionem operum desidie & ignavia laxent animi robur, Rustici verò laboribus & operibus incumbentes alacriores, & firmiores reddantur : tum etiam quia cum Appius Claudius Censor humiliores per omnes Tribus divisserit, eoque facto Forum & Campum corruperit : in duas partes Civitas distracta est : alteram integro Populo fautore, & cultorum bonorum tenente; alteram occupante forensi factione : donec Q. Fabius Censor, tum ut concordiam Civitati pareret, cum ut è manu humillimorum comitia vindicaret, turbam omnem forensem in Tribus quatuor congessit, quas urbanas appellavit: & quia ex fœce plebis collectæ fuerant, ideo urbanæ infimæ tribus habitæ sunt (*a*).

Ignominiæ itaque labes effundebatur in eos, qui e rustica in urbanam Tribum transferebantur. Altera infamiæ



[*a*] Liv. lib. 8.

nota quæ eſt quarta & poſtrema animadverſionum cenſoriarum, quæque in plebejos quoque cadebat : eſt ærarium relinquere : ſive ſuffragii ferendi facultatem adimere . Qua nota affectis, nihil aliud de Civium jure reſidebat, quam ut aera tributi nomine pro capite penderent, quos ita multatos in cæritum tabulas referebant : hoc autem nomen fluxit alæritibus, qui primi municipes ſunt ſine ſuffragii jure facti ( *a* )

*Quid deceat quid non obliti cæritæ cera.*

*Digni, remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſis.*

His itaque notis quod cujuſque ordinis ſummum erat detrahebant : & aliquando plures notas cumulabant, itaut non præterirentur modo Senatores, & equites equis privarentur : ſed è Tribus etiam moverentur, ut omnes has ſimul ignominiæ maculas idem caput exciperet ; ſi quid gravius ſcelus admiſiſſet . ( *b* )

Creari Cenſores ſingulis quinquennis
191 poſitum erat ; atque in eorum creatione ſervatum ut è conſularibus legerentur, quod poſt punicum bellum inſtitutum

---

[ *a* ] Horat. lib. 2. Ep. 1.
[ *b* ] Valer. Max. lib. 1. c. 3.

tum permansit: servatum quoque est ne idem bis crearetur, ne capita civium supramodum iterata potestas urgeret. Tandem mos fuit, ut sine suffectione crearentur, h. e. ut ne quis, altero e Censoribus, mortuo, in defuncti locum sufficeretur, quæ religio Populo injecta est tempore Gallici belli, & miserabilis Urbis Romanæ cladis. Pro omine acceptum quod eo anno altero e Censoribus mortuo alter fuerit in mortui locum suffectus, ideo alterum inmortui locum substituere religiosum fuit.

Lustro condito cum è magistratu abirent suovetaurilium sacrificium à Censoribus fieri mos fuit, ita hoc sacrificium appellatum, quod sus, ovis, & Taurus cæderetur, idque institutum a Regibus ortum est. Post quam censum P. R. peregissent publicæ recensionis tabulas in æde Nimpharum custodiebant.

Ex his quæ de eorum potestate protulimus colligi sane potest, quantum se Censorum dignitas extulerit, placet autem singulos dignitatis gradus suis nominibus distinguere, ut omnia dilucide collecta atque descripta in animo habeamus. Magistratus hic de extraordinariis erat, nec enim semper nec eodem tempore quemadmodum ordinarii, ita dicti quod statis temporibus in Rep.

redi-

redirent . Est & de Magistratibus mixtis , quod ad eos aditus cuique è populo pateret . Cum autem majores , & minores essent Magistratus, ita dicti aut quod majora minorave haberent auspicia, aut quod majus minusve imperium aut potestas esset : hunc ad Magistratus majores referendum esse satis tum ex ipsius muneribus, tum ex auctoritate veterum constat . Curulis præterea erat cum jus sellæ haberet . Omnia quoque Censoribus summa majestatis insignia deferebantur, illis Fasces, illis prætexta Toga , illis omnia consularia munera tributa . Lictores defuerunt, credo quod non tam ad augendum Magistratus splendorem , quam ad vim inferendam , & consularia justa peragenda a Consulibus assumerentur . Cæterum potestatem in Consulibus latiorem , dignitatem vero illustriorem atque ampliorem in Censoribus emicuisse non ambigitur . Idque potissimum ex antiquorum auctoritate testatur Justus Lipsius : cujus mira est in evolvendis veterum monumentis alacritas, & diligentia ( *a* ).

Satis pro instituta brevitate, Censoris munera, potestates, & originem complexi

---

( *a* ) Lib. de Magistrat. c. 18. §. dignitas.

plexi sumus : ne si opus procedat longius, & animos vestros tædio afficiamus & res ipsas inutili verborum copia obruamus . Reliquum est vos modo si non dignum auribus vestris dicendi genus adhibuimus : nostram in dicendo inelegantiam & ingenii tenuitatem pro vestra humanitate & benevolentia leniter, & benigne feratis .

*F I N I S .*

*Libri*

*Libri, che (oltre molt'altri) ſi vendono da Simone Occhi Librajo in Merceria dell' Orologio all'Inſegna dell' Italia.*

ANntichità d' Aquileja Profane e Sacre per la Maggior parte finora Inedite raccolte, diſegnate, ed illuſtrate da Giandomenico Bertoli con figure. fol.

Avventure di Telemaco figliuolo d'Ulisſe, nuova edizione 1744. 8.

Boerhaave Prælectiones Academicæ in proprias Inſtitutiones Rei Medicæ, cum Notis Alberti Haller. 4. vol. 7.

Beſombes Moralis Chriſtiana ex Scriptura Sacra Traditione, Conciliis, Patribus, & inſignioribus Theologis excerpta. 4. vol. 2.

Cornelii Nepotis Excellentium Imperatorum Vitæ. 12.

Concina Epiſtolæ Theologico-Morales.

Facis Hiſtoricæ compendium ex Juſti Lipſii operibus ſummo ſtudio concinnatum. 12.

S. Fulgentii Ruſpenſis, Epiſcopi opera ad manuſcriptos codices plures: nec non ad editiones antiquiores, & caſtigatiores emendata, & aucta: acceſſere D. Amadei Epiſcopi Lauſanenſis Homiliæ fol. 1742.

Gaſ-

Gaſpari Inſtitutiones criminales tribus Partibus diſtributæ. 4.
Goudin Philoſophia inconcuſſa, tutiſſimaque Divi Thomæ dogmata. 12. vol. 4. 1744.
Habert Praxis Sacramenti Pænitentiæ ſive Methodus illius utiliter adminiſtrandi 8.
Kempis de Imitatione Chriſti. 24.
Lampridii de ſuperſtitione vitanda, ſive cenſura voti ſanguinarii in honorem Immaculatæ Conceptionis Deiparæ emiſſi, cum Appendice. 4. vol. 2.
Muratori de voto Sanguinario cum Appendice. 4. vol. 2.
Officium Conceptionis B. M. V. 16.
S. Proſperi Aquitanici, S. Auguſtini Diſcipuli, S. Leonis Papæ Primi Notarii opera omnia ad manuſcriptos codices, nec non ad editiones antiquiores, & caſtigatiores emendata. fol. juxta editionem Pariſienſem 1711.
Phedri Fabulæ cum notis. 12.
Raccolta d'Opuſcoli Scientifici e Filologici dal Tomo decimottavo ſino al Tomo trenteſimoquinto.
Rime di diverſi Antichi Autori Toſcani in dodici Libri raccolte, giuntovi moltiſſime coſe, che nella Fiorentina edizione del 1527. non ſi leggevano 8.

Ri-

Rimario di Girolamo Ruſcelli in queſta ultima edizione riveduto ed ampliato . 8.

Rifleſſioni ſopra la Quareſima Appellante 8.

Sermoni di D. Stanislao Santinelli Somalco . 12. vol 2.

Storia del Probabiliſmo e Rigoriſmo , Diſſertazioni Teologiche , morali e critiche del P. F. Danielo Concina 4. vol. 2.

Tamburini opera omnia . fol.

Teſoro delle Gioje Trattato curioſo , nel quale ſi dichiara brevemente le virtù, qualità, e proprietà delle Gioje . 12.

Vita del Venerabile Girolamo Miani Fondatore de' Cherici Regolari Somaſchi . 4.

Viaggi eruditi per la Germania Ongaria, Inghilterra, Svizzeri del cavalier Carlo Patin . 12.

Vanroii Theologia . 12. vol. 5.

VVillis opera omnia Medica fol. cum figuris

Valdeſii Epiſt. ſive Appendix ad Librum Antonii Lampridii de Superſtitionem Vitanda , ubi Votum Sanguinarium recte oppugnatum , male propugnatum oſtenditur . 4. 1743.

68, 69

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Gravina, Gianvincenzo,

Institutiones iuris civilis receptioris libri IV. Item diss. de censura Romanorum

Venetia 1746

J.rom.c. 140
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10565524-5